

1000

0


R. $\frac{118}{8430}$

E. 118 Feb. 5^o u 13

19

FRANCISCI LVISINI
VTINENSIS IN LIBRVM

Q. HORATII FLACCI
DE ARTE POETICA
COMMENTARIVS.



R. 8430 (1)

CVM PRIVILEGIO SENATVS
VENETI IN ANNOS XX.

VENETIIS, M. D. LIIII.

FRANCISCO L. VISINI

VINCENTIENSIUM LIBRARIUM

DE HONORATI F. ACCI

DE ARTE POETICA

COMPARATIVIS



ESTABLISHED IN 1845

AND PRINTED IN AMSTERDAM

ARTHUR M. D. PHILIP

REVERENDISSIMO, ET ILLUSTRISSIMO²

S. R. E. CARDINALI ALOYSIO CORNELIO

FRANCISCVS LVISINVS S. P. D.



V M è citeriore Gallia Venetias peruenissem, Illustris-
sime Corneli, Paulus Manutius, in omni literarum ge-
nere prope singularis, cum illum ego ob ueterem amici-
tiam, quæ mihi cum illo arctissimis necessitudinis uin-
culis intercedit, domi conuenissem, summa contentione
petiuit, ut librum Horatij de poetica explicationibus
meis illustrarem: dignum enim esse librum aiebat, in
quo docti homines industriæ suæ neruos contenderent,
& ingenij thesauros multis laboribus congestos explica-
rent: se quoque hoc negocium fuisse amplexaturum, nisi alijs quamplurimis curis di-
stineretur. Equidem, rem tantam aggredi, uix arbitrabar esse eius, qui uereretur re-
prehensionem doctorum, atque prudentium: malui tamen, cum Manutij studio es-
sem obsecutus, quod facit etiam apud Platonem Theætetus, desiderari ab illo pruden-
tiam meam, quam, si id non fecissem, beneuolentiam. Librum poetices Regij publicæ
sum interpretatus, tanto hominum concursu, ut multitudinem studiosorum amplif-
simus locus non caperet. has igitur commentationes meas ad te Corneli præstantissime
mittendas esse existimaui, ut in eius nomine apparerent, cui, summo literarum patro-
no, omnium plane scripta deberi uidentur. nam si quis unquam uirtutis suæ admi-
ratione hominum sibi uoluntatem deuinxit, & qui omnium studia, ac laudes prome-
reretur, inuentus est; tu mihi is unus ex omnibus esse maxime uideris. quæ res ne mul-
tis egeat, ac perspicuis argumentis, dignitatis tuæ ratio facit, quæ altissimo loco sita
est. nam in eum quidem ordinem cooptatum te esse uidemus, quò uiris tantum aditus
uirtute, & probitate excellentibus patere solet, qui non fuco, & fallacijs sibi homi-
num animos, sed uitæ integritate, & singulari sapientia conciliarint. atque alij, qui
nunc tecum ad reip. Christianæ gubernacula summo Pontifici assistunt, coelestes, ac
diuini homines, ante, quam ad Cardinalatus gradum eueherentur, quam auram po-
pularum non captarunt? quos Herculis labores non exceperunt? quam aduersam for-
tunam non sustinuerunt? Tu uero cum nobilissimis insignium disciplinarum studijs
animum excoluisses, omnium quasi uirtutum præsidijs septus, ad urbem te contulisti:
cuius uix limen adieras, cum te Iulius. III. Pontifex post hominum memoriam sa-
pientissimus, Cardinalem pronunciauit, & socium sibi statim asciiuit, ut Christia-
nam remp. in tanto naufragio fluctuantem, & aduersissimis uentis iactatam, illu-
stribus consilijs iuuaret. quod quidem ita præstas, ut Marcum, Franciscum, & An-
dream Cornelios, qui Cardinales clarissimi fuerunt, gentiles tuos, ut fortunis, & nos

A ij

bilitate, sic animi luminibus, et præstantia repræsentantes, maiorem etiam de te opinionem quandam boni omnes imbiberint. nam te præsentem, qui in urbe sunt, ut cælo de lapsum intuentur: absentem exteræ nationes admirantur. non enim iisdem cancellis, quibus corporis umbra capitur, nominis tui fama continetur, quæ latius peruagatur, & in omnium gentium auribus posita est. nihil mihi quidem tui nominis celebritate dulcius est, nihil optatius: sed tamen nescio quo pacto fit, ut, cum de te cogitem, lacrymas continere non possim: eas enim mihi clarissimi uiri Ioannis patris tui memoria nunc etiam excussit. is si uiueret, & te in excelso isto dignitatis gradu constitutum uideret, nunc demum uberrimum disciplinæ fructum caperet, quæ ut puer sanctius instituereris, sedulo semper curauit, cum insita tibi uirtutis semina, quæ sopita erant, omni ratione accenderet. nam ut ingenij tui uis fieret illustrior, disciplinam adhibuit, at quam disciplinam dii immortales? cuius gratia doctissimos undique uideros amplissimis præmijs propositis acciuit. quis enim ignorat, Corneliam domum eruditissimis uiris semper fuisse refertam? ut uix altera tota Italia literas amantius aluerit, iacentes officiosius extulerit, elatas feliciter coluerit. quid mirum igitur, si è Cornelia familia tot summi uiri exierunt, qui in Veneta rep. omnibus honoribus perfun-
cti floruerunt? qui Romæ eam, quam tu nunc geris, personam sustinuerunt? cum foeminae etiam uiris pares ex ea ortæ sint. quid enim ego hic Cypri reginam Corneliam commemorem? quæ, rege marito mortuo, tam ampli, atque opulenti regni hæres, patriam regno chariorem habuit; cui Cyprum insulam nobilissimam, cui tantum imperium, cui tantas opes condonauit; & regnandi curam abiecit, quæ alios ad facinus tetrum allicit, qui regnandi causa iura omnia labefactanda esse arbitrantur. illi Georgius frater, auus tuus, uir sapientissimus, ut id efficeret grauissimus auctor fuit. qui instructa etiam nauî in Cyprum, ut inde in patriam sororem ueheret, enauigauit. cui cum patria tantum ante oculos uersaretur, & nihil esset antiquius, nulli remi, nulli uenti satisfacere properanti uidebantur. quid multa? donata Cyprus Venetis est, uetigalibus publicis finitima, nauali gloria, & maris imperio celeberrima, omnium rerum copijs, atque opibus circumfluens. quam parem huic in patriam pietatem Carthago? quam Lacedæmon? quam Roma, Athenæ, Rhodus obijcient? quam ulla ueterum resp. ostentabit? cuius ad nostram memoriam disciplina militaris, & gloria peruenerit? nam captos bello Reges, & uinculis constrictos, expugnatas prouincias, debellatas urbes qui reddiderint, eorum pene innumerabilia passim exempla reperiuntur: sed qui domestico, atque amplissimo se regno exuerint, ut patriæ opes amplificarent, non temere tibi ex omnibus monumentis occurrent; cum nihil ex omni memoria sumi possit illustrius. hæc ego uestra decora, atque ornamenta libenter commemorare, & crebris usurpare sermonibus soleo, quia uestris innumerabilibus officijs obstrictum me esse sentio. Ioannes pater tuus, uir clarissimus, cuius ego mortui, dum uiuam, memoriam colam, in suam me familiam honestissime asciuit, & mea studia Patauij liberalissime fouit. tum ego in studijs uestra liberalitate adiutus florui, ex qua tan-

3
quam ex fonte plurima in me commoda redundarunt. tum meum nomen, cum ante
fuiſſet obſcurius, & ego domi apud te eſſem quaſi in orbis terræ theatro, illustratum
eſt. ſcit hoc is, cui omnia debeo, Federicus frater tuus, diuinus iuuenis: quem ego cum
in ſtudijs uiderem ita uerſari, ut in ijs omnes eius cogitationes euigilarent, acrioribus
ſtimulis excitabar ad hanc ſtudiorum metam, quæ cum populari gratia coniuncta eſt;
ut ille me tantum exemplo, quantum ego illum cohortatione, & præceptis, adiuua-
ret. Ego igitur, in quo uobis beneficio non ſim deuinctus, nihil plane uideo, cum om-
nia circumſpiciam: nec ſolum dignitas mea, quæ tamen eſt pertenuis, ſed etiam uita
ipſa à ueſtra mihi benignitate deriuatur. quare potius me mei, quàm nobiliſſimæ Cor-
neliæ gentis obliuio ceperit: cui ſi præclaram meam uoluntatem teſtatam poſſem illu-
ſtri aliqua ſignificatione relinquere, ò me uere beatum, ò uere fortunatum hominem.
ſed neſcio qua temporum meorum iniquitate hæc mihi hæcenus liberior facultas præ-
repta eſt. ut mihi inuidiſſe potius fortuna indignius uideatur, quàm mea in id uolun-
tas exiſtimetur non fuiſſe propenſior. Tu uero Corneli illuſtriſſime meum hunc
commentarium, quo liber obſcuriſſimus de arte poetica illustratur, quaſi animi mei
prædem accipies. æquum enim eſſe cenſuimus, ut, qui uita, et fortunarum mearum
patronus eſt, ei liber etiam dicaretur, in quem omne ſtudium, atque operam contuli-
mus, ut poetica ratione nihil iam eſſe poſſet dilucidius. is ſi tibi doctiſſimo, & præ-
ſantiſſimo uiro probabitur, iam ego maximum ſtudiorum meorum fructum feram.
nam tu mihi unus inſtar omnium, cum in te uno uirtutes omnium eluceant, & prin-
ceps eorum mihi iure optimo ſis, quorum ego cauſa ſane omnia peruelim. Vale.

Regij Lepidi, Idibus Maij, anno ſalutis, M. D. LIIII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

4

FRANCISCI LVISINI VTINENSIS
IN LIBRVM QV HORATII FLACCI
DE ARTE POETICA COMMENTARIVS.

I.



VMA NO capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admisi risum teneatis amici?

Credite Pisones isti tabulæ fore librum
Perfimilem, cuius uelut ægri somnia uanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,
Scimus, & hanc ueniam perimusq; , damusq; uicissim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes auibus gementur, tygribus agni.



PINIONEM, & phantasiam Aristoteles non circa
idem uersari, sed plurimum inter se discrepare libro tertio
de anima scriptum reliquit. nam phantasia, inquit, no-
stro in arbitrio, & uoluntate posita est. possumus enim
animo omnia effingere liberius, uel aduersa, uel secun-
da, uel quæ fieri possunt, uel quæ unquam accidere con-
sentaneum non uidetur, quibus tamen non afficimur,
neque animo commouemur, quia ficta scimus esse, quem-
admodum nec, cum picturam intuemur, commoueri so-

lemus, seu terribilis res aliqua, seu læta expressa, à nobis spectetur, quòd ficta ea om-
nia sunt, nulla ueritatis ratio elucet. At opinio è re ipsa, atque è ueritate tanquam ex fonte
deriuatur: non enim libera est, sed ex euentu pendet. quare cum aliquid uel triste esse,
uel iucundum opinamur, *συμπάρομεν*, inquit Aristoteles, idest afficimur, & commo-
uemur. Poetæ phantasiam, non opinionem sequuntur: quia poetæ nomen sibi ascia-
scunt non propter carmen, sed propter fabulam, & fictionem, ut in poetice testa-
tum reliquit Aristoteles. & iccirco quicumque rerum effigiem, & simulacra arte
imitantur, ut mechanici plerique artifices faciunt, poetæ sunt, quemadmodum in
symposio Platonis Socrates affirmat, propterea quòd fictione, & rerum imitatione de-
lectantur. Verum his modus statuendus est: neque enim omnia poetarum figmenta
probanda sunt, sed quæ à prudentia potius, quàm à sola fingendi libertate profi-

IN POETICEN HORATII

ciscuntur. si quis fabulam ita constituat, & argumentum poematis, ut inter se omnia non respondeant, sed dissentiant potius, ac repugnent, simile poema confinxerit picturæ illi, quæ ex omnibus animantibus terrestribus, aereis, ac marinis conflata est: & propterea monstrum quoddam uidetur. omnia igitur in poemate sibi conueniant, consentiant, respondeant, scopum, ac finem omnia spectent, nihil abhorreat, nihil alienum sit: unde Virgilius nihil Aenææ tribuit, quod summo Imperatori, qui plane Deus non esset, minus conueniret: nihil Achilli & Ulyssi Homerus, quando, ut ait Theon in exemplis, in Iliade Troianorum incommoda recenset, ut homines ad iustitiam inflammet, in Odysseæ ad ferendam æquo animo aduersam fortunam nos cohortatur. hic fuit scopus, nihil attigit quod in hunc directum non esset. Quintilianus libro octauo, cap. quarto, de hoc loco Horatii sic scribit. κοινισμός, inquit, appellatur quædam mixta ex uaria ratione linguarum oratio, ut si atticis dorica, ionica, æolica etiam dicta confundas. cui simile uitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, uetera nouis, poetica uulgaribus misceat: id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit, Humano capiti, & quæ sequuntur: & cætera ex diuersis naturis subiiciat. Horatius monstri huius descriptionem ab Aegyptiis desumpsit. nam Porphyrius libro quarto de abstinentia à cibis, & cæde animalium, de Aegyptiis loquens sic inquit. εἰκασαι γὰρ πρὸς αἰθεροῖς τις μέχρι Τραχίλου αἰθροπειδῆς, τὸ δὲ πρὸς ὄρεσιν ἢ λείοντος, ἢ ἄλλου πνός ζωῶν κεκτημένου, καὶ πάλιν αὐτὸ κεφαλὴν αἰθροπειδος, καὶ ἄλλων πνῶν ζωῶν μόρην, δι' ὧν δηλοῦσιν ὅτι κατὰ γῶμην θεῶν, καὶ τῶν ἄλλοις κοινωνεῖ. Et quæ sequuntur. quidam apud eos usque ad collum humana specie pictus est, uultum auis, uel leonis, uel alius cuiuspiam animalis præferens, item caput humanum, aliorum quorundam animalium membra, reliquæ uel partes corporis sunt. quibus perspicue demonstrant, deorum immortalium uoluntate hæc etiam animalia inter se coniuncta esse. Lucianus etiam in libro de sectis huius rei locuples testis est, apud quem sic legimus. οἷα πολλὰ αἰγὺ πῆλοι γράφουσιν αὐτὴ τῶν γράμματων κεφαλαῖο ἕνα ὄντας, καὶ λείοντος κεφαλαῖο αἰθροπειδος. qualia multa Aegyptii pro literis pingunt, ut capite canino, & leonino homines. Plato in sophista. οὐκ ἔν καὶ τ' ἄλλα οἷ τῶ κατὰ δύο διττὰ ὄντα τῆς ἡμετέρας αὐτοποιτικῆς πρῶξίως τὸ μὲν αὐτὸ φαμεν, αὐτοργικὴ, τὸ δ' εἰδωλόν, εἰδωλοποικὴ. Alia etiam sic duplicia sunt opera nostræ huius poeticæ artis. nam pictura, quæ rem plane ueram effingit, uerum exprimens est: quæ uero spectrum, spectrum imitari dicitur. pictura hæc, cuius exemplum attulit Horatius, tam uaria, ac multiplex, non est αὐτοργικὴ, sed εἰδωλοποικὴ. nullis enim in regionibus monstrum hoc uiuere audiuius. quare non ad ueritatem, sed ad spectrum & phantasiam proxime accedit. Hoc primum Horatii præceptum est in hoc de arte poetica libro plane aureo, in quo poetam excellentem effingit. nec eo contentus in poetis sæpe imperitos inuehitur, quos è coetu poetarum explodit. nec temere primum docuit, qualis esse debeat argumenti, & fabulæ constitutio, quia, ut in poetice auctor est Aristoteles,

est Aristoteles,

est Aristoteles, fabula poematis anima est. Reliquum est iam, ut contextum ipsum aggrediamur. **CERVICEM.** quæ iuncta est capiti. Virgilius de Orpheo. tum quoque marmorea caput à ceruice recisum. αὐχίνα uocant Græci. Dionysius Halicarnassæus libro nono, ubi securi percutiuntur ab Appio milites, οἱ μὲν πελέκει οὖς αὐχίνας ἀπὲς πρυγῶν. alijs securi ceruices recisæ sunt. **VARIAS.** quia ex uarijs animantibus, auibus ue collectæ. aliquando idem animal, ut collum columbæ, uarium uidetur nostro uisu hallucinante. Aristoteles de generatione. **VNDIQUE.** ex omnibus auibus. ut in Ode ad Munatium Plancum, undique decerptam fronti præponere oliuam, undique idest ex omnibus oliuetis. **PISCEM.** etiam marina animalia com-plectitur. auis ex aerijs, equus ex terrestribus, piscis ex marinis est. Virgilius, syluæq; & sæua quierant Aequora. piætæq; uolucres quæq; lacus late liquidos, quæq; aspera dumis rura tenent. **SUPERNE.** ut de Venere Apellis Cicero libro tertio de officijs. accedit eodem testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola P. Ruffi Ruffum dicere solere, qui Panætium audierat, ut nemo piëtor esset inuentus, qui Veneris eam partem quam Apelles inchoatam reliquisset, absolueret: oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferbat: sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ perfecisset, præstantiam, neminem esse persecutum. morte præreptus Apelles Venerem hanc, de qua Cicero, perficere non potuit. Plinius libro trigesimo quinto, capite decimo. superne autem mulier hæc, de qua Horatius, formosa uideri possit, quia caput humanum, reliqua membra ferarum, & brutorum habet animantum. **SPECTATVM ADMISSI.** adhibiti ad spectandum. piëtores, & statuarij ad spectandum opus exactum admittere solent, sæpe etiam illud populo proponunt, atque omnium oculis subiiciunt, ut aliorum iudicium exquirant. Aelianus libro decimo quarto de Polycleto loquens, qui alteram statuam ipse ut sentiebat, fecit, alteram populi iudicium secutus absoluit, πρὸς οὐρανὸν οὐκ ἀμφοτέρωσ, καὶ ἡ μὲν ὑπὸ πάντων ἐδοξμάζετο, ἡ δὲ ἐπὶ ἅμα ἐγλάτο, ἕπολαβῶν δὲ ἐφίη ὁ πλυκεύης, ἀλλὰ τῶσιν μὲν, ὡς λέγετε, ὑμεῖς ἐποίησατε, τῶσιν δὲ, ὡς δοξμάζετε, ἐγὼ. utranque proposuit, & hæc quidem omnibus admirationem ciebat, hæc autem irridebatur. excipiens igitur Polycletus, at istam, quam uituperatis, inquit, uos fecistis, hanc ego, quam admiratione defixi suspicitis. **AMICI.** licet piëtori illi amici sitis arētissimis necessitudinis uinculis coniuncti, amamus autem amicos, quia nos ipsi sunt. nam ut ait Aristoteles in lib. octauo de moribus ad Nicomachum, οὐδὲς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ. ideo amicorum in rebus dijudicandis sæpe decipimur: uidemur enim de nostris ferre sententiam, quare Socrates in Phædro Platonis sanius iudicium putat non amantis, quàm amantis, quia is, qui non amat, uerum sequitur, qui amat, sæpe fictus est, οὐδὲ μὴ ὁρῶντας κρείττους αὐτῶν ὄντας, τὸ βέλτερον αὐτῶν τῆς δόξης τῆς πρὸς τῶν ἀνθρώπων αἰρεῖσθαι. ex his non amantes præstant, quia quod uidetur optimum, & maxime conducibile, non inanem hominum opinionem sequuntur. **ÆGRI SOMNIA.** melancholici sæpe somnijs uexantur, ideo ægrietiam, quia

IN POETICEN HORATII

melancholici sunt, quietem somnijs interrumpunt: somnia autem eorum irrita sunt, et sibi non constant: sic imperiti poetæ in suis scriptis errant, et pugnantia inter se confingunt. Aristoteles de diuinatione per somnum quodam loco sic inquit, ἀλλ' ὅσων, ὡς-πρὸς αὐτὴν ἢ φύσιν λέγεται ὅτι, καὶ μελαγχολικὴ παντοδαπὰς ὄψεαι ὁραοί. qui naeti sunt melancholicum ingenium, uaria spectra uident. ibidem stultiores dicuntur, qui somniant, πάνυ γὰρ ἀγενεῖς ἀνθρώποι πεθοραῖκοι εἰσι, καὶ δὲ θυόνοιροι, ὡς οὐ θεῶν πύκνους. ualde enim degeneres homines, atque inepti in somnijs futura prospiciunt, et diuinant, quia scilicet à Deo somnia non mittantur. ægri somnia simillima dicit esse Horatius corruptis poematibus, quia ægrorum sensus omnes corrupti, ac deprauati sunt. Socrates in Theæteto Platonis sic inquit, ἐκαστον δὲ τῶν πεφυκότων τι ποιῆν ἄλλο τι, ὅταν μὲν λάβῃ ὑπαίνοντα σωκράτην, ὡς ἐτόρω μοι χήσεται, ὅταν δὲ ἀδενῶντα ὡς ἐτόρω. quibus uerbis demonstrat res alias sibi ægro uideri, alias recte ualenti, et quidem res easdem. PICTORIBVS, ATQVE POETIS. sensus hic est. licet poetis fingere, modo fingant consentanea, non ea, quibus natura resistit, ac re clamat; et quæ inter se cohærerere non possunt. pictores autem, et poetæ ubique similes ponuntur, ut hic positos ab Horatio uides. Cicero libro tertio de Officijs. quod autem in poematibus, et picturis usu uenit, in alijsq; compluribus, ut delectentur imperiti, laudentq; ea, quæ laudanda non sunt, ob eam credo causam, quod insit in his aliquid prohi, quod capiat ignaros. Aristoteles in poetice, ἢ τοὶ βελτιοναὶ, ἢ καθ' ἡμᾶς, ἢ χειροναὶ ἀνάκη μμεῖοθ, ὡς πρὸς οἱ γραφεῖς, πολυγνωτος μὲν κρείττους, παύσων δὲ χειρους, διωνυσίος δ' ὁμοίως εἰκαζε. præstantiores, quàm nostrates homines sunt, uel deteriores imitari necesse est, ut pictores imitantur, Polygnotus præstantiores, Pauson deteriores, Dionysius uero similes effingebat. quare Horatius doctissime hic poetas, et pictores consociauit. AEQVA POTES TAS. uenia par. poetis autem, quia quæ scribunt, dijs uidentur dictantibus scribere. Plato in Apologia. ἐγὼν οὐκ αὖ καὶ πρὸς τῶν πρὸς τῶν ἐὼν ὀλίγω τουτῶ, ὅτι εἰ ὅτια ποιῶν, ἢ ποιῶν, ἀλλὰ φύσει ἔστιν, καὶ ἐὼ θυσιάζοντες, ὡς πρὸς οἱ θεομάντεῖς, καὶ οἱ χρησμοδοί. hoc etiam in poetis animaduerti, eos non singulari aliqua sapientia scribere, quæ scribunt, sed natura quadam, et diuino furore conciti, ut uates, et qui in oraculis respondent. UT PLACIDIS COEANT IMMITIA. huc ab initio libri præceptum deduxit Horatius, Porphyrio autem alterum præceptum esse existimauit, nimis turpiter deceptus, qui nec sensum, nec structuram, nec ordinem uerborum, ac præcepti uim agnouerit. placida, et immitia simul esse non possunt, quia contraria sunt, quæ autem sunt contraria simul esse nequeunt, ut docet in prædicamentis Aristoteles. hæc Horatius pro his, quæ non congruunt inter se, usurpauit, exempli gratia, Theon in exemplis Homerum reprehendit, qui libro primo Iliadis Chrysem sacerdotem ad hostes deduxerit, ut filiam pretio redimeret. hoc uero timido seni non conuenit, tam securo animo uenire ad superbissimos, et infensissimos hostes. ne iuuenes quidem hoc audaces fecissent. cum erat fugiendum, Chrysem ait uenisse in castra hostium, qui nec militum temeritatem,

nec iram Atridarum, nec strepitum armorum, nec horribilem illum belli terrorem perterritimuerit. tum post multa sic Theon ait, ὁ πόθος τῆς θυγατρὸς τῶν ἰατρῶν ἠγάπησεν, at desiderium filiae ad haec illum compulit. mox respondet. ἀλλὰ ὁ φόβος τῶν ἐναντίων ἐκώλυε, at metus hostium prohibebat. Homerus igitur in Chryse uideri potest placidis immitia coniunxisse, timori audaciam, senectuti fortitudinem, prudentiae, quae solet esse in senibus, temeritatem. GEMINENTVR. iungantur, duo fiant dissimilia: neque enim coalescere possunt, cum inter se discrepent. haec dicuntur geminari, quae si conuenirent, coalescerent, non geminarentur, ut honestum, et utile, quia idem sunt, non geminantur. Cicero libro tertio de officijs, Itaque accepimus Socratem solitum execrari eos, qui primum haec, natura cohaerentia, opinione distraxissent, cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quicquam quod non honestum.

II.

Inceptis grauibus plerunque, & magna profectis
 Purpureus late qui splendeat, unus, & alter
 Assuitur pannus, cum lucus, & ara Dianæ,
 Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
 Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
 Sed nunc non erat his locus, & fortasse cupressum
 Scis simulare, quid hoc? si fractis enatat expes
 Nauibus, ære dato qui pingitur? amphora coepit
 Institui, currente rota cur urceus exit?
 Denique sit quoduis simplex duntaxat, & unum.

Hic Horatius eos poetas reprehendit, qui ab eo, quod sibi dicendum proposuerunt, episodijs, & digressionibus importunis abducti discedunt. nam Episodia tum in poemate requiruntur, cum res postulare uidetur: temere accersenda non sunt, cum his nec amplificatur poema, nec perpolitur. non igitur importune, & fusius excellentes poetae in digressionibus excurrent. haec mihi horum uersuum uidetur esse sententia. Iacobus tamen Grifolus, uir sane eruditus, adhuc primum præceptum ab Horatio tradi existimat. à quo ego ut dissentiam, ea me ratio impellit, quòd cum episodia in arte poetica illustrem semper sibi locum uendicent, de ijs nullum uerbum fecerit Horatius, si reticuisse eum hic de episodijs existimabimus. & certe locus hic ex poetice Aristotelis expressus est, ibi enim sic legimus, τῶν δὲ ἀπὸ ἀνὰ μὲν τῶν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν αἰ ἐπεισοδιῶν δὲ εἰς χεῖρας, λέγω δὲ ἐπεισοδιῶν μὲν τῶν, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισοδία μετὰ ἀλλήλα οὐτ' εἰς, οὐτ' ἀπὸν εἶναι. simplicium autem fabularum & actionum episodicae teterimae sunt: dico autem episodiam fabulam, in qua episodia nec uerisimili ulla ratione, nec necessario mutuo conferuntur. Demetrius etiam Phaleræus in libro de elocutione hoc ipsum præceptum inseruit. καὶ οὐδὲν ἄλλο καὶ οὐδὲν ἄλλο εἶναι τῆς

IN POETICEN HORATII

χειρῶν τεχνῆς δ' μικρὸν μόρος τὸν λαβόντα ὕλῳ δὲ μεγάλῃ γράφειν, καὶ μὴ κα-
 ταδραματίζειν πῶς τέχνῳ εἰς μικρὰ, οἷον ὀρνίθια, ἢ αἰῖθῃ. Et post, ὡς γὰρ καὶ πῶς
 ὑπόθεσιν αὐτῶν μόρος εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὡς πρὸς τῆς μύθοιο τῆς ποιητικῆς.
 Nicias pictor Et hoc statim præcepit, pertinere ad artem pingendi, ut non paruo ali-
 quo spatio syluam ingentem pingat, qui eam pingendam suscepit, Et ad tenuia se con-
 uertat, ut auiculas, Et flores: putabat enim hoc subiectum esse picturæ, ut fabulas
 poetarum. PURPUREVS LATE. incipit grauius, Et cum dignitate, mox
 repente deficit. purpuram posuit pro pulchritudine poetici alicuius splendoris. nam re-
 ges ob dignitatem hac utebantur. Eutropius libro nono de Diocletiano. ornamenta gem-
 marum uestibus, calceamentisq; indidit. nam prius imperij insigne in clamys purpu-
 rea tantum erat, reliqua communia. uel dic hic pannum purpureum sumi pro affe-
 ctatione, quæ statim graue principium subsequitur. nam purpura etiam male audijt
 ut delicatior. Laertius libro secundo in Aristippo. καὶ πότε πρῶτον κελύβους
 Διονυσίου ἐκείσων ἐν πορφύρᾳ ἐδήπι ὀρχήσασθαι, τὸν μὲν πλάτωνα μὴ προσέειπαι
 εἰπόντα, οὐκ αἰδωαίμην δήλω εὐδύωαι σολῶ. In conuiuio olim imperante Dio-
 nysio, ut unusquisque in purpurea ueste saltaret, Platonem dixisse ferunt. foemi-
 neam uestem induere non possem. VNVS, ET ALTER ASSVITVR.
 sic Cicero in Oratore ad Brutum. quos autem numeros cum quibus tanquam purpu-
 ram misceri oporteat, nunc dicendum est. allusio est ad prætextam uestem. sic prior
 sententia melior uidebitur. LVCVS. nemorum, Et lucorum descriptio ne ex-
 plicetur uerbis innumerabilibus, sed paucis, Et aptis. Virgilius: Lucus in urbe fuit
 media gratissimus umbra. Homerus libro sexto Odysseæ, ubi Nausicaa hospitem Ulys-
 sem alloquitur, cui tamen ut alienigenæ loca poterant describi explicatius.

Διόμην ἀγλαὸν ἄλσος ἀθήνης ἀγχι κελύβοιο
 αἰγείρων, ἐκ δὲ κρῶν ἢ νάει, ἄμω δὲ λειμῶν.

Reperiemus splendidum nemus Mineruæ prope uias alnorum. fons inde fluit, cir-
 cum autem pratium est. Imprudentes poetæ inceptum deserent, Et in luci descriptione
 latius excurrent. ARA DIANAË. uel Tauricam Dianam intellige, quæ Ore-
 stem à furijs eripuit. Cicero pro Milone. uel eam quæ in Cyntho monte Capreas occidisse
 complures dicitur, Et ex earum cornibus Apollini fratri aram extruxisse. de qua Cal-
 limachus in Apollinis hymno.

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμελία φοῖβος ἔπηξε
 καλῆ ἐν ὀρτυγίῃ, πόρην γίος εὐδοσί λιμνης
 ἀρ' ἔμευ ἀγρώσουσα κρήνατα σῶεχες αἰγῶν
 κωνιδιάδων φορέεσκον, ὃ δ' ἔπλεκε βωμῶν ἀπόλων,
 δειμάτῳ μὲν κούραεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμῶν
 ἐκ κούρων. κούρους δὲ πόριξ ὑπεβάμετο τοίχῳ.

Quadrimus prima fundamenta Apollo iecit pulchra in Ortygia, rotundo in lacu:

Diana uenata cornua continenter Caprarum Cynthiadum comportauit : ipse autem con-
 texuit aram Apollo, construxit quidem cornibus fundamenta ; construxit aram ex cor-
 nibus : corneos autem circumiecit muros . ET PROPERANTIS AQUAE .
 amnem intelligit , cum ambitum uocat . Virgilius amnes Oceani dixit , quod terram
 ambiunt . Et Oceani spretos pede reppulit amnes . breuiter idem amnem expressit sine
 uerborum dispendio libro sexto . pars densa ferarum Teeta rapit , syluas , inuentaq;
 flumina monstrat . Et Homerus libro septimo Odysseae . ubi de horto Alcynoi . ἐν δὲ δὺς
 κρηῶναι . Et c . FLUMEN RHENUM . Caesar ex Gallia in Germaniam traji-
 ciens Rhenum transiit . in commentariis de bello Gallico . Virgilius in Gallo . Alpinas ab-
 dura niues , Et flumina Rheni Me sine sola uides . Idem in libro octauo . Rhenuſq; bi-
 cornis . ubi Seruius . quia per duos fluit alueos , per unum , qua Romanum imperium
 est , per alterum , qua interluit barbaros . Rhenum dixit , non Rhenus , Horatius , cre-
 do quia cum dictione flumen coniunxit . sic in Odyssea . testis Metaurum flumen , Et
 Asdrubal Denictus . PLUVIUS DESCRIBITUR ARCUS . Irim intel-
 ligit , quae oritur , cum nubem solis radii aduersam feriunt , Et noster uisus inter nu-
 bem , et solem medius illa emphasi refrangitur . Aristoteles libro tertio meteorologicorum .
 ἀνακταῖον , ὅταν ἀρχήται ὑεῖν , καὶ ἤδη μὲν σωισήται εἰς φεγγίδας ὁ ἐν τοῖς νέφεσιν
 ἀήρ , μήπω δὲ ὑεῖ . εἰ μὲν οὖν ἐπιπέσει ἢ ὁ ἥλιος , ἢ ἄλλο τι , οὕτω λαμπρὸν , ὥστε γί-
 γνέσθαι ἐμπροσθεν τὸ νέφος , καὶ πρὶν ἀνάκτασιν γίνεσθαι πρὸς τὸ λαμπρὸν ἕξ ἐπι-
 πέσει , γίνεσθαι ἐμφασιν χρώματος , οὐ χήματος . necesse est , cum pluuere incipit ,
 Et iam aer in rotationes in nubibus consistit , nondum autem pluat , si aduersus sol
 fuerit , aut aliquid fulgidum , ut nubes ueluti speculum fiat , Et refractione contra lu-
 men efficiatur , coloris , non figuræ fieri emphasim . Ammianus Marcellinus libro xx .
 sub finem , Et Plutarchus libro tertio de placitis philosophorum Irim pluribus uerbis
 describunt . Laertius libro septimo in Zenone . ἶρις δὲ εἶναι ἀγλαῖς ἕξ ὑγρῶν νεφῶν ἀνα-
 κτασμένης . Irim esse radios ad humidis nubibus reflexos . quod attinet ad arcum ,
 Zezes , interpres Hesiodi in Theogonia , καὶ δοκεῖ τι κυκλίου τμήμα ἐν τῷ νέφει εἶναι .
 Et circuli sectio in nube esse uidetur . Virgilius eam breuiter , non per episodium li-
 bro quarto descripsit .

Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis

Mille trahens uarios aduerso sole colores

Deuolat .

Homerus etiam libro octauo Iliados , ubi Iuppiter Irim mit-
 tit , quae Iunonem , et Mineruam ad se accedere uetet , ἶρις δὲ ὄρωε χρυσοῦ πτερόν ἀγ-
 γελείῳ . Irim misit aureas pennas habentem , quae mandata ferat . CUPRESS-
 SVM . qui pingit naufragum , quid attinet ut praeter rem pingat cupressum ? Et
 quasi episodium quoddam inducat ? quidam cupressum duntaxat pingere sciebat , eam
 igitur in omni pictura adhibebat . uide Erasmus in Chiliadibus . Cupressus naufrago
 addita mortem portendere potest . Virgilius libro tertio .
 Ceruleis moesta uittis , atraq; cupresso .

IN POETICEN HORATII

vbi Seruius annotat, apud veteres positum in more fuisse, ut ante domum funestam cupressi ramum præfigerent, ut Pontifex præteriens funus esse animaduverteret, & discederet, ne pollueretur. QVI PINGIT VR. nunc etiam in tabella naufragium depingitur, & ex uoto in Diuorum templis parietibus affigitur, ut summæ Dei potentia, & in homines beneficentia ad pietatem inflammemur. sic veteres etiam faciebant. Horatius in Odis libro primo.

Me tabula sacer

Votiuâ paries indicat humidâ

Suspendisse potenti.

Vestimenta maris Deo.

Et Tibullus libro primo.

Nunc Dea nunc succurre mihi: iam posse mederi

Picta docet templis multa tabella tuis.

AMPHORA. quidam

amphoram figulina rota instituit, mox à proposito discedens urceum fingit: urceus autem exiguum est uas, unde manus abluentibus aqua funditur. Homerus libro quarto Odyss. χερσὶν δ' ἀμφοῖ ποτὸς περὶ χόω ἐπιχθονε φέρουσα, &c. uel quo puellæ capiti imposito aquantur, libro septimo Odyssæ. παρθενηκῆ εἰκὴν νεώιδι κἀλπιν ἐχούσῃ. Polybius libro decimo fortasse urceos intelligit, cum inquit κἀρα μίδασ ἀρῆρῶς. uide quid annotauimus in nostris Parergis libro tertio capite decimo. SIMPLEX DVNTAXAT, ET VNVM. non est liberius per episodica excurrendum, in res alias, atque alias: fabula esse una debet, non multiplex, una actione constet: non est autem una actio, si unus uir sit Hercules, aut Theseus. nam hi res multas gesserunt, quæ unam actionem constituere non possunt. nam diuersæ cum sint se mutuo non respiciunt, quare actio una non erit, si gestæ res omnes ab Hercule, uel Theseo referantur, sed plures, ac plane diuersæ. Vitandæ igitur sunt digressiones, quæ nos de actione in diuersam actionem trahunt: illæ enim tantum probandæ sunt, quæ nos à proposito longius non diducunt. Virgilius unam sibi actionem Aeneæ proposuit Iter ab urbe Ilio in Italiam, ubi sibi urbem exædificet, tamen in Africam ad Didonem maris procella iactatum ducit, quia res illa à re proposita non penitus abhorret, quin potius rerum uarietate delectationem affert: nauigantes enim sæpe in ultimas terras tempestate appulsi peruenerunt. sic Homerus Vlysssem ad Corcyrensiū littora eiectum scribit, cum ille tamen Ithacam contento cursu peteret, solam Ithacam animo reuolueret, solam oculis quæreret. lege librum Odyssæ quintum, & consequentes præterea libros. Aristoteles in sua poetice, cum præcepta huiusce rei tractandæ scriberet, sic inquit, οὕτω δὲ καὶ περὶ ξέδης εἰὸς πολλαὶ εἰσιν ἕξων μία οὐδὲ μία γίνεται περὶ ξείσ, δι' ὃ πάντες εἰσὶν ἀμφοτέρων, ὅσοι τῶ ποιητῶ Θησίδα, καὶ Ἡρακλῆίδα πεποιήκασιν, οἰόντων γὰρ, ἐπεὶ εἰς ὁ Ἡρακλῆης, εἷνα καὶ τὸν μῦθον εἶναι περὶ σίκεν. mox de Homero, ὁ δὲ οὐσείων γὰρ ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα, ὅσα αὐτῷ συνέβη. sic unius multæ sunt res gestæ, ex quibus una confici actio non potest, quare omnes peccare uidentur, quicumque poetæ Theseida, & Heracleida scripserunt. arbitrantur enim, quia

unus Hercules est, unam etiam esse fabulam par esse. Odyssæam scribens Homerus, non omnia retulit, quæ ipsi Ulyssi euenerunt.

III.

Maxima pars uatum pater, & iuuenes patre digni
 Decipimur specie recti. breuis esse laboro,
 Obscurus fio. sectantem leuia nerui
 Deficiunt, animiq; . professus grandia turget,
 Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.
 Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
 Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum,
 In uitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

PATER, ET IUVENES PATRE DIGNI. o' Piso, & uos filij Pisonis digni clarissimo patre, quia a paterna uirtute non receditis: degeneres enim indigni sunt patre. unde superioris Africani filio, qui se omnibus uitijs obstrinxerat, propinqui annulum e digito detraxerunt, in quo caput erat Africani sculptum, indigno, qui eum gestaret. Valerius Max. libro III. cap. V. DECIPIMUR SPECIE RECTI. nam duplex bonum, alterum apparens, alterum existens. Aristoteles libro septimo de moribus ad Nicomachum. τὸ ἀγαθὸν διχῶς, τὸ μὲν ὅτι ἀπλάως, τὸ δὲ ὑπὸ. & post, αἱ δὲ οὐ δὲ ἰδοναὶ, ἀλλὰ φαίνονται. bonum dupliciter, alterum simpliciter, alterum cuidam. uoluptates bonæ non sunt, sed uidentur. poetæ quidem omnes sibi bonum finem, ut recte imitentur, proponunt, sed recti specie decipiuntur, quia quod bonum putant, uitiosum est. nam alij nimis breues sunt, alij nimis tenues, alij tumidiores, & cum in errore uersentur, id non uident, quinimo se maxime admirabiles esse censent. sic Socrates in Phædro Platonis rhetores specie recti deceptos irridet, ἔφη τοὺς ῥητορικοὺς ὡς ἰδὲ δὴ δὲ διδάσκοντες ἄλλους ἢ γούντα σοφίσι πλείως ῥητορικοὺς διδάσκειν. τὸ δὲ ἐκείνα τὸ ὑπὸν πιθανῶς λέγειν τε, καὶ τὸ ὅλον σωφίστασαι, ἔδεν ὄργανον αὐτοῦς εἶναι πρὸς ἑαυτῆς ὡς μαθητῶν σφῶν πείθεσθαι ἐν τοῖς λόγοις. Rhetoricen se inuenisse, putarunt, & hæc alios edocentes, absolutam, & perfectam rethoricen tradi à se arbitrantur: probabiliter uero hæc sigillatim dicere, & totum componere, tamq; rem nullam, aut pertenuem ipsos per se auditores in orationibus sibi posse comparare. BREVIS ESSE LABORO. species recti, quibus decipimur, singulas percurrit. quidam breuitatem in primis expetendam censuerit: hæc tamen in scriptis parit obscuritatem. quæ sit expetenda interdum breuitas, docet Cicero libro secundo de Oratore, his uerbis. narrare uero rem quod breuiter iubent, si breuitas appellanda est, cum uerbum nullum redundat, breuis est L. Crassi oratio. Aristoteles libro tertio rhetoricorum. οὐδὲ ὅτι ἐν ταῦτά ἐστι τὸ δὲ ἢ τῷ ταχὺ, ἢ τῷ σωπτόμῳ, ἀλλὰ τῷ μετρίῳ. tres uirtutes in omni narratione requiruntur, perspicuitas, breuitas, probabilitas, quæ si omnes adhibitæ sunt, oratio omnes

IN POETICEN HORATII

numeros habet. Theon, ἀρεταὶ δὲ διηγήσας φῆσι, σαφῆνεα, σωρὸ μία, πιδανότης: διὸ καλλιστὸν μὲν, εἰ δὲ αὐτὸν ἔστιν ἀπάσας τοῖς ἀρεταῖς ἔχειν. si hæc in oratore, multo magis in poeta requiruntur, qui crebris utitur synonymis, et supervacaneis sæpe epithetis propter copiam, quam ut admet, ei insitum, atque innatum esse videtur, quod cum doceret Aristoteles libro tertio rhetoricorum hoc exemplum attulit, λευκὸν γὰρ λευκόν. album lac, quod ut dicant, poetis concessum est, tametsi nemo est, qui lac esse album ignoret. Spartani, quia brevitatem nimis adamarunt, nullum oratorem, nullum poetam habuerunt. de his Thucydides libro quarto in concione Lacedæmoniorum ad Athenienses, ἀλλὰ ὑδιχέειον ὄν ἡ μὲν, οὐ μὲν βραχεῖς ἀρχῶσι, μὴ πο μοῖσ ἤ οὐδ. nobis patrium est, ut ubi pauca sufficiant, multis ne utamur. Philippo saltum, & transitum petenti liberiolem, hoc tantum grandioribus literis responderunt οὐ, idest non. Plutarchus in libro πῶς ἀδολεχίασ. recte igitur M. Tullius in libro de claris oratoribus sic inquit: quis enim aut Argium oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda docto homine suspicari libet. Lacedæmonium uero usque ad hoc tempus audiui fuisse neminem. Menelaum ipsum dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem, breuitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in uniuersa eloquentia laudem non habet. NERVI. robor a orationis, lacertos dicit Cicero in Bruto de Lysia loquens, ubi etiam hoc uitium quod hic Horatius insecatur. habet inquit certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consecuntur, quos, ualētudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat, quanquam in Lysia sunt sæpe etiam lacerti, sic ut eo fieri nihil possit ualentius, uerum est certe genere toto strigosior. Socrates in Phædro Platonis Isocratem Lysia his uerbis anteponit, δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ καὶ τὰ εἶναι τῶν Λυσίασ εἶναι λόγισσ, τὰ τῆσ φιλίας, ἔτι δὲ ἡδεὶ γλυκωτὸν ὡ κεκρῆσθαι. præstantior mihi in oratione, quam Lysias uidetur, ob eam uim quam a natura habet insitam, et quia moribus in dicendo, ac instituto uidetur generosior. notum iam est, ut opinor, quem nerui deficient. ANIMI QVE. uis, & sublimis illa sententiarum maiestas. Virgilius in Georgicis uentos appellat animosos, idest plenos uis, ac flatu uehementiore. Quas animosi Euri assidue franguntq; , ruuntq;. TURGET. Catullus. At populus tumido gaudeat Antimacho. tales etiam Asiani oratores. M. Tullius in Bruto sic inquit. nam, ut semel e Pyræo eloquentia euecta est, omnes peragrauit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemq; illam salubritatem Atticæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui pene dedisceret. hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, sed parum pressi, & nimis redundantes, Rhodij saniores, & Atticorum similiores. Quintilianus libro XII. cap. X. sic: neque enim Attice pressi sunt Rhodij, neque asiane abundantes. Videant igitur poetæ, de quibus hic Horatius, ne ita tumeant oratione, ut nimium grandes, & plane Asiani poetæ uideantur. SERPIT HVMI, TVTVS NIMIVM, TIMIDVS QVE PROCELLAE. sunt qui contrario uitio laborent, & ita

Breuitas
Spartanorum

Democritus
Lycius

Et ita tenuitatem, Et gracilitatem sectentur, ut humi serpent ijs similes, qui dum maris procellam timent, ripæ nimum propinquant, Et saxis, quæ in ripa sunt, alliduntur. Virgilius in Georgicis.

Qua me quoque possim

Tollere humo, uictorq; uirum uolitare per ora. Plato in Phædro ait πῶ τὸ πῖδρδ φῦσι κκοινώνηκέναι μάλιστα τὸ θεδ, uolandi naturam diuinitatis maxime esse participem. quæ uerba declarauit Plutarchus in quæstionibus Platonicijs ὡστε πῶ ψυχὴν ἀπ τῆσ ταπεινῶν, καὶ θνητῆσ αἰαφδρῶν (αυ). quia animam ab humilibus hisce curis, et mortalibus in coelum erigit. Lilius Gregorius Gyraldus, summe uir eruditionis, Ferrariæ mihi olim affirmauit, se librum habere manu scriptum, in quo sic uersus legeretur. serpit humi, ut tutus nimum, timidusq; procellæ. additæ igitur est particula ut. quæ si additur, erit imago a nauta: si deletur, metaphora uidebitur. Aristoteles libro tertio rhetoricorum hac particula imaginem a metaphora se iunxit. ἐστὶ δὲ καὶ εἰκῶν μεταφορά. διαφδρε γαρ μικρὸν. ὅταν μὲν γαρ ἔππ τὸν ἀχιλλεία, ὡσ δὲ λέων ἐπόρουσεν, εἰκῶν ἔστι. ὅππ δὲ λέων ἐπόρουσε, μεταφορά. imago etiam est metaphora: parum enim differt. quando de Achille dicit Homerus, ut leo erupit, imago est: quando autem, leo erupit, metaphora. **QVI VARIARE CVPIT REM PRODIGIALITER.** poemata uarianda sunt, ut plus delectationis afferant, Et quidem uarianda figmentis. nam poetæ non sumus propter narrationem, sed propter fabulam, ut testatum reliquit in poetice Aristoteles, sed cauendum ne figmenta ita ab arte poetica Et natura ipsa abhorreant, ut prodigia iure optimo uideri possint: iccirco enim apud Seruium Virgilius reprehenditur, quod frutices ab Aenea euulsos è tumulo Polydori cruentos dixerit, quasi spicula in Polydorum coniecta. Et quod naues sint in nymphas conuersæ, crimini etiam ei datum fuisset, quod solum Turnum in urbe Troianorum inclusit confertissimas hostium acies cadentem, nisi addidisset Turno sociam Iunonem libro IX. Iuno uires, animumq; ministrat. Homerus uerticem montis abruptum Cyclopi manu testatur.

ἦκε δὲ ἀπ ῥῆτῆσ κερυφῶ ὄρειοσ μγάλοιο. Sed rem facit credibilem, quia uastissimum Cyclopem effinxit, cum dicebat plus cibi solum eum, quam omnes simul homines absumere, clauam gestare ingentem, atque immanem, Et cum ei speciem tribuebat homine grandiore. Sic enim Homerum defendit Hermogenes libro quarto de Inuentione, ubi agit πῶδπ κκοζήλου. recte autem poema uariabimus, si ars naturam imitabitur. nam ut ait Aristoteles libro secundo physicorum, ubi docet quomodo mathematici a physicis differant, ἢ τέχνη μιμῆται πῶ φῦσι. ars naturam imitatur. Marius Nizolius, quem ego semper et propter doctrinam, Et propter ætatem iam ingrauescentem obseruauì plurimum, superioribus diebus Parmæ, quò animi causa concesseram Regio Lepidi, cum sciret me commentarium in artem poeticam Horatij editurum propediem esse, in his mihi uerbis quæstionem excitauit: Quo modo inquit quisquam cupiet uariare rem prodigialiter, cum hoc insitum omni

Not

Error Virg. in
Seruius

IN POETICEN HORATII

nibus sit à natura, ut, quæ laudabilia non sunt, toto pectore fugiant, quæ uero sunt præclara, omni ratione consecrentur. cui nos respondimus, cupere nos aliquando rem uariare prodigialiter, cum specie recti decipimur. non enim animaduertimus in quo errore uersetur, quare fit, ut prodigio, & errore delectemur, non putantes esse uel prodigium, uel errorem. & ea in medium attulimus, ex Aristotele, & Platone, quæ superius explicuimus in illum Horatii uersum. Decipimur specie recti, &c. DELPHINUM SYLVIS. per delphinum in syluis, & aprum in fluctibus omnem fictionem minus congruentem accipere debemus: aper enim in syluis, delphinus uiuit in fluctibus: sic prope Virgilius prodigium expressit.

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui,

Et freta destituent nudos in littore pisces.

Et Horatius in odis libro primo,

Omne cum Proteus pecus egit altos

Visere montes,

Piscium & summa genus hæsit ulmo,

Nota quæ sedes fuerat columbis,

Et superiecto pauidæ natarunt

Aequore Damæ.

De delphino Puteolano, qui puero extincto, quem amabat, in ipso maris littore extinctus est, lege apud Gellium. CULPAE FUGA. Imperiti dum uitium fugiunt, in alterum prolabuntur: nam dum nolunt poema fictione carere, temere, & prodigialiter fingunt, ignorantes uirtutem in medio esse positam, uitia utrinque stare. Aristoteles libro secundo de moribus ad Nicomachum de mediocritate agens, quæ inter duo uitiosa extrema sita est, sic inquit. ποδὶ μὲν οὖν φόβου καὶ δαΐμονος ἀνδρείου μεσότης. inter metum, & audaciam fortitudo in medio constituta est. quod innuit etiam Prodicus ille in Phædro Platonis. qui Tisiam, & Gorgiam irridens putantes munus esse rhetorices parua extollere, magna deprimere, μῖνος αὐτὸς δὲ γενέσθαι ἔφη ὧν δέῃ λόγων τέχνη, δῆν δὲ οὐτὲ μακρῶν, οὐτὲ βραχίων, ἀλλὰ μετρίων. solum se professus est, inuenisse quibus uerbis ars egeat: egere autem nec longis, nec breuibus, sed mediocribus orationibus. at poetæ indocti mediocritatem non agnoscunt. de ijs alibi Horatius, Dum fugiunt stulti uitia, in contraria currunt.

IIII.

Aemylum circa ludum faber Imus, & ungues

Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.

Infelix operis summa est, quia ponere totum

Nesciet. hunc ego me, siquid componere curem,

Non magis esse uelim, quàm prauo uiuere naso,

Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo.

Sunt quidam poetæ, qui nobili in argumento rei propositæ uersantes, aliqua in

parte erunt excellentes, mox ubique frigescent, & qui semel, aut iterum in aliquo se poematis membro probarint, in reliquo corpore erunt inepti. hos Horatius hic arguit exemplo fabri statuarij, qui nomine Imus dicebatur. hic in statuis minimas partes, ut capillum, & unguem recte effingebat, in alijs corporis partibus nullo pacto bonus artifex uidebatur. at inquit Horatius non in parte tantum, sed in toto poemate excellere debemus, ut immortales simus futuri. Imus faber Romæ officinam habebat, circa Aemylium ludum, idest in uico, cui nomen inditum ab Aemylijs eadem urbis regione habitantibus erat, ut Venetijs etiam uidemus multa urbis loca à nobilissimarum familiarum nomine nuncupari. erat Romæ Aemyliorum familia antiquissima à filio Pythagoræ oriunda. Plutarchus in Aemilio Paulo. ὁ πρῶτος τῶν αἰμυλίων καὶ τῶν γλίστιων ἐπὶ πᾶσι μίαν ἀρχὴν πᾶσι μὲν πῦθα γὰρ ποῦς τῆς σοφου, ἡ δὲ αἰμυλία λόγον, καὶ ἔτι αἰμυλίου περὶ σαροβείας. sic in oratione pro P. Quintio atria quædam, in quibus præcones uersabantur, Licinia à Licinijs dicta. Cicero sic inquit. Tollitur ab atrijs Licinijs, atque à præconum confessu in Galliam Næuius, & trans alpes usque transfertur. In Vaticano prata erant Quintia à Quintijs. Plinius libro XVIII. cap. III. aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato Viator attulit dictaturam. apud Quintilianum de fornice Fabiano legimus, is nimirum à Fabijs dicebatur. sic igitur uicus Aemylius nomen ab Aemylijs acceperat. Iason Cyprius de Imo hoc sic inquit. qui licet omnes partes corporis separatim minutissime exprimeret, in coniunctione tamen incongrue disponeret. Sed Horatij sensum non percepit, qui Imum unam tantum, aut alteram particulam recte expressisse, non omnes dicit. ut ille falso putat. VNGVES, ET CAPILLOS. minimas sic corporis partes. difficile tamen erat hoc præstare, ideo Plinius in eo laudat industriam Parrhasii pictoris, & Lysippi sculptoris. de statuarijs autem antiquis lege Plinium libro trigesimo quarto, cap. octauo. ubi eorum etiam opera dicuntur. AERE. æreæ fiebant statuae. ærea primum statua Cereri ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemit. Plinius hæc libro trigesimo quarto, cap. quarto. In triumpho magni Pompeij uisa primum argentea statua Pharnacis libro trigesimotertio cap. duodecimo. Hominum primus statuam auream, et quidem solidam ex auro Delphico in templo posuit sibi Gorgias Leontinus LXX. circiter olympiade: tantus erat docendæ oratoriæ artis quæstus. hæc Plinius libro trigesimotertio, cap. quarto. INFELIX OPERIS SUMMA EST. totum corpus Imus non præclare conficiebat: quædam enim corpora, seu quædam ὅλα, idest tota ex partibus inter se similibus constant, ut linea, ex quibus qui partem sciet effingere, sciet et totum conficere: quædam autem ex dissimilibus partibus conflata sunt, ut animalia, & plantæ: qui ex his partem recte construet, non iccirco totum perite etiam componet, quia scilicet partes habet inter se discrepantes, ac diuersas. hæc ex Themistio doctissimo Aristotelis interprete libro I. Physicorum, sectione XVII. hæc igitur causa est, quam ob rem Imus non ita in toto corpore, ut in quibusdam tantum parti-

bus excellerebat. NON MAGIS ESSE VELIM. nollem in parte tantum probari, in reliquis partibus reprehendi, ut nec in corpore graueolentem, uel distortum nasum habere, alia uero membra perpulchra. solent ueteres saepe à corpore similitudinem petere. M. Tullius libro tertio de officijs. Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi membri ualetudinem ad se traduxisset, debilitari, et interire totum corpus necesse esset: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatq; , quod cuique possit, emolumentum sui gratia, societas hominum, communitasq; euertatur necesse est. PRAVO VIVERE NASO. Polypus apud Martialem nasi morbus dicitur. nasus uniuersam faciem cohonestat. idem prauus si sit, eam dedecorat, aut si amputatus. Athenæus libro duodecimo, ubi agit de contumelijs Scytharum, sic ait. εἰς τοὺς περὶ ἡλθον ὑβριῶς, ὥς τε πάντων τῶν αἰθρῶν, εἰς οὓς ἀποκοινῶν, ἠκρωτηρίαζον τοὺς ῥίνας. ad id insolentiae, et contumeliae uenerunt, ut omnium hominum, ad quos peruenissent, nares amputarent. Catullus. Salue nec minimo puella naso. NIGRIS OCULIS. Aristoteles in problematibus. γλαυκὰ μὲν ὄσιν τὰ ὄμματα δὲ ἰσχυρὰ βολῶν τῶν ἐν τῷ ὄφθαλμῷ, μελανὰ δὲ δὲ τῷ τῆς ἀχρυσίας, ὥς περὶ καὶ ἐμπεδοκλῆς φησὶ. glauci oculi sunt, propter caloris uim, qui intus est: nigri autem, quia calor ipse abest. ut Empedocles etiam asserit. Idem libro primo de historia animalium, cum de uarijs generibus nigri oculi disquireret. εἰσὶ οἱ δὲ αἰθρῶν τοῦ ἡθροῦς βελτίστου σημεῖον, καὶ πρὸς ὀξύτητα ὀφθαλμοῦ κρᾶτισον. quibusdam color in oculis caprinus est optimi ingenij signum, et ad uisus acumen, atque uim plurimum confert. Plato in Phædro duos equos fingens, quibus trahitur cupiditas, alterum bonum, alterum uero tetrum, ubi de bono loquitur, λευκὸς ἰδέειν inquit, καὶ μελανόμματος, albus corpore, oculis niger. NIGRO CAPILLO. Seruius si emendate legatur libro quarto Aeneidos flauum crimen in foeminis probat, nigrum in maribus; cum uersum illum interpretatur.

Nondum illi flauum Proserpina uertice crinem

Abstulerat. Horatius libro primo epistolarum scribens ad Mecœnatem.

Quòd si me nolles usquam discedere, reddes

Forte latus, nigros angusta fronte capillos. Et in odis libro primo.

Et Lycum nigris oculis, nigroq;

Crine decorum.

V.

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam

Viribus, & uersate diu, quid ferre recusent,

Quid ualeant humeri. cui lecta potenter erit res,

Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Hoc uero præceptum latius patet, et ad omnes homines pertinet, ut eas res agrediantur, quas præstare possint. poetæ alij lyricis aptiores sunt, alij heroicis, alij

tragicis, alij alijs argumentis. Flaminius in mediocri illo genere carminis excellit, quo poetas omnes superauit. Naugerius æquis eum gressibus comitatur, sed tamen cum Bembo altius se aliquando attollit. Bernardinus Parthenius in omni genere mirificus est, & solus aliorum omnium partes sustinet: ita ornate, nitide, grauius non solum orationes, sed etiam poemata scribit. sed quia hæc rara auis in terris est, monet Horatius poetas, ut materiam suis uiribus parem sumant, ne turpiter oneri succumbere cogantur. sic prope Quintilianus libro secundo, cap. nono proprietatem inquit ingeniorum despiciere prorsus necessarium est. in his quoque certum studiorum facere delectum, nemo dissuaserit. nanque erit alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio iuris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. sic discerneret hæc dicendi magister, quo modo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliud ue quid ex ijs, quæ sunt sacrorum certaminum. M. Tullius in libro de claris oratoribus sic. quare hoc doctores intelligentis est uidere, quò ferat natura sua quæque, & ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompum, & lenissimo Ephori dixisse, traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri fraenos. Stobæus libro uigesimo de Atheniensibus audacioribus, quàm uires eorum poscebant, sic scripsit. Δημωκράτης ἀναβαίνων εἰς τὴν ἀκρόπολιν εὐχόμενος, καὶ πνευστῶν, ποιεῖν ἔφη, ὅπῃ καὶ σύμπασα ἡ ἀθηναίων πόλις, πνεῖν μὲν γὰρ μέγα, ἰσχυρὸν δὲ μικρόν. Democrates senior arcem cum conscendisset, & anhelaret, facere se dixit quod uniuersa Atheniensium ciuitas faceret: spirare quiddam magnum, posse autem quiddam perpusillum. Plato in Alcibiade priore cautum in hoc, ac prudentem Alcibiadem facit. Socrates enim eum interrogat, quibus de rebus sit in senatu uerba facturus. ὅταν οὖν ποδὶ πνός ἐκλεύωνται, οἱ γὰρ ποῦ, ὅταν γὰρ ποδὶ οἰκοδομίας; ἀλ. οὐ δὴ τα. Σω. οἰκοδομίας ἢ τῶντα γὰρ σου βέλτιον συμβουλεύσει; ἀλ. ναὶ. cum de ædificatione domus consulent? Alcib. non equidem. Socr. architectus enim de his melius, quàm tu, consulent? Alcib. certe. post multa demum Alcibiades respondet, ὅταν ποδὶ πολέμου ὡ σῶκρας, ἢ ποδὶ εἰρήνης, ἢ ποδὶ ἄλλου τῶντων τῆς πόλεως πραγμάτων. tunc dicam, cum de bello, ὁ Socrates, uel de pace, uel de alio quouis urbis negotio disceptabunt. Pindarus in ode prima Nemeorum.

πέχαι δ' ἐτέρων ἔτεραι,
 καὶ δὲ εἰ δ' οὐθείαις ὁδοῖς
 σοιχόντα μαρναδαίαια.

Aliæ aliorum artes sunt: oportet autem rectis incedentem uis, id persequi cui natura idoneus est. Horatius libro primo epistolarum ad Iulium Florum scribens, tacite Tityum carpsit, quòd hoc præceptum aspernaretur.

Quid Tityus Romana breui uenturus in ora?
 Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
 Fastidire lacus, & riuos ausus apertos.
 Ut ualet? ut meminit nostri?

IN POETICEN HORATII

POTENTER, idest secundum facultatem ingenij sui. Propertius libro secundo.
 Sed neque Phlegraeos Iouis, Enceladiq; tumultus
 Intonet angusto pectore Callimachus:
 Nec mea conueniunt duro praecordia uersu
 Caesaris in Phrygios condere nomen auos. & post.
 Qua pote, quisque in ea conterat arte diem.

FACUNDIA. copiosi enim esse debent poetae, tantum non redundantes: nam idem
 alijs, ac diuersis uerbis dicunt. Virgilius libro nono de Amyco.

Quo non felicior alter
 Ungere tela manu, ferrumq; armare ueneno. Idem bis dixit. sciebat
 tela ueneno inficere. Aristoteles libro tertio rhetoricorum. τῷ μὲν σοφιστῇ ὁμωνυμίας
 χήσιμοι, πῶς δὲ τῶν ἄλλων ἢ κωκυρῶν: τῷ ποιητῇ δὲ σωωνυμίας. sophistae equiuoca
 commoda sunt: his enim fucum facit: poetae uero synonyma. per facundiam, ni fal-
 lor, Horatius intelligit eloquentiam, ut utilitatem extollat, quae ijs exorietur, si su-
 sceptam materiam uiribus metientur, quamuis M. Antonius summus orator dicere
 soleret, se disertos multos quidem uidisse, eloquentem uero neminem, ut scriptum Ci-
 cero reliquit libro primo de oratore, in oratore, et Quintilianus libro octauo cap. primo.
 LUCIDVS ORDO. ordinem uocat lucidum translatione sumpta à duobus ele-
 mentis perspicuis aqua, & aere, in quibus ordo uidetur esse materiei, quia rariora
 sunt. terra ex confusione constat, & quia ex crassiore materia mixta est, ideo non est
 perspicuum corpus. Aristoteles in libro de coloribus. καὶ δὲ ἀνφάινεται τὸ φῶς, οἷον
 τῆ τ' ὕδατος, καὶ τῆ ἀέρος. Socrates in Phaedro Platonis. δεῖ πάντῃ λόγον ὡς ποδῶν
 ζῶον συνεστάναι, ὡς τε μήτ' ἀκέφαλον εἶναι, μήτ' ἄπονον, ἀλλὰ μέσῃ τε εἶναι, καὶ
 ἄκρα πρέποντα ἀλήλως, καὶ τῷ ὅλῳ κεραιμυλίας. oportet omnem orationem tan-
 quam animal compositam esse, ut neque capite, neque pedibus careat, sed & media
 habeat & extrema recte inter se decentia, & toti conuenientia, atque respondentia.
 Ibi Socrates de ordine potius oratorio, cum tamen etiam in poematibus ordo est suus,
 uidentur omnia elucere.

VI.

Ordinis haec uirtus erit, & uenus, aut ego fallor,
 Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
 Pleraque differat, & praesens in tempus omittat,
 Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.

Quae superius praecipit Horatius, ad inuentionem omnia attinent, nunc aggreditur
 dispositionem epici poematis, quae non ab initio rerum gestarum deducitur, sed à me-
 dio, uel ab ultimis rebus initium sumit: coherent autem haec cum superioribus, quia
 cum dixisset Horatius, eius poetae ordinem fore lucidum, qui sibi ea dicenda sumpsis-
 set, quae suis humeris posset sustinere, statim praeccepta de ordine sibi adijcienda exi-

stimavit, cuius merito inciderat. Madius tamen, huius, et superioris memoriae philosophorum facile princeps, non de ordine hic arbitratur Horatium præcipere, idest de dispositione poetica, sed de episodijs, quæ inducuntur, cum non tota explicatur fabula: eius autem uerba hæc sunt. Ut iam nunc dicat, hoc est, ut poeta aliquid narret, quod ad fabulam spectet, iam nunc debentia dici pleraque differat, idest quæ gratia fabulæ sequi deberent, differat, atque aliquid in eorum locum, quod congruat, substituat: per hoc enim, quod dicit, pleraque differat, episodio multa innuit epico carmine inserenda. Hæc Madius. Nos tamen non ut clarissimi philosophi sententiam refutemus, sed ut, quod plane sentimus, ingenue fateamur, aliter hunc locum interpretabimur, et dispositionem poeticam hic ab Horatio tractari existimabimus; licet Acron præterea sic dicat, pleraque differat, et præsens in tempus omittat. ut Virgilius in septimo libro narrat, in Italia iam posito Aenea quomodo fabricatæ sunt naues, quibus ab ilio nauigauit, cum in tertio non dicat. Porphyrio autem concisus, et mutus est. HÆC VIRTUS. sic Aristoteles libro tertio Rhetoricorum καὶ ὡς εἶπω λέξεως ἀρετὴ σαφὴ εἶναι. Et diffiniatur dictionis uirtus, ut perspicua sit. ET VENUS. idest uenustas quæ uocatur ab Hermogene σεμνότης libro primo de idæis oratorijs: hæc enim adhibita orationem facit ampliolem, atque illustriorem, ὡς τε συμφάξεν, idest ut ampla sit. Sic ibi loquitur Hermogenes. UT IAM NUNC DICAT, IAM NUNC DEBENTIA DICI PLERAQUE DIFFERAT. quædam nunc dicat incipiens non ab initio rerum gestarum, sed ab ultimis, seu medijs rebus, quædam nunc debentia dici, idest principia, quæ primum occurrunt, et iccirco uidentur indoctis poetis primum debere dici, differat alio loco referenda. sic Virgilius exorsus non ab excidio Ilij, sed à procella maris, qua Troiani toto ponto iactati errarunt. Homerus non à raptu Helenæ, sed ab ira Achillis, et in odyssea à Calypso auspicatus est. Plutarchus in uita Homeri de tota hac ratione sic scriptum reliquit. οὐ γὰρ πόρρωθεν ἐμβαλὼν τὴν ἀρχὴν τῆς ἰλιάδος ἐποίησεν, ἀλλὰ καὶ καθ' ὃν χρόνον αἱ πράξεις ὀδυσσεύς τῶν αἰετῶν, καὶ ἀκμῶν τῶν αἰετῶν καὶ δέσπῃαν, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ εἰ ὀδυσσεύς πεποίηκεν ἀρξάμενος μὲν ἀπὸ τῆς τελευτῆς τῶν πλάνης τῆς ὀδυσσεύς χρόνων, ἐν οἷς καιρὸς ἦν ἡδὴ καὶ τὸν τηλέμαχον εἰσάγειν, καὶ τῆς μνηστῆρων ὑβριεῖν ἐμφανίζεν. Non enim longe initium Iliadis repetiuit, sed quo tempore res in maximo motu erant. Idem et in Odyssea effecit, à postremis errorum Ulyssis temporibus exorsus. quibus ipsum etiam Telemachum induci occasio postulabat, et procorum contumeliam aperiri. Theon in progymnasmatibus, ubi de narratione agit, de Homero loquens, ἤρξατο γὰρ ἀπὸ τῆς χρόνων, καθ' οὓς ὀδυσσεύς ἦν πρὸς καλυψοῖ, εἶτα εἰς ἄρα μὲν τὴν ἀρχὴν μετὰ τῆς οἰκονομίας γλαφυρᾶς. ab ijs temporibus initium sumpsit, quibus apud Calypso Ulysses commorabatur, deinde ad principium ordine quodam amabili progressus est. ET PRÆSENS IN TEMPUS OMITTAT. Acron sic exponit, in præsentia prætermittat, sed decipitur. tu melius sic, differat in tempus præsens, idest opportunum. Virgilius in Georgicis.

IN POETICEN HORATII

Felicis mali, quo non praesentius ullum,
 Pocula si quando saeva infecere nouerca,
 Miscueruntq; herbas, et non innoxia uerba,
 Auxilium uenit. et in aeglogis.

Nec tam praesentes alibi cognoscere Diuos. Parrhasius Acronem sequutus est.

HOC AMET, HOC SPERNAT. obseruet poeta hoc, quod scilicet praecipimus: spernat quicquid ab his praecipis abhorret. nam mihi non uidetur tam illustri loco, et praecipio dignum, quod quidam sentiunt, ut poeta ipse suam personam aliquando interponat. ut in Georgicis libro secundo.

Non illa quisquam me nocte per altum
 Ire, nec a terra moneat conuellere funem.

Quid enim his cum dispositione poetica? Pedimontius ad hunc locum pertinere putat uersus Horatii, qui sunt in extremo odae primae libri primi. Me doctarum Hederæ premia frontium, etc. cuius mihi opinio hic nullo pacto uidetur esse consentanea: neque enim hic de oda, et lyrico agimus poemate, sed de dispositione epici. PROMISSI CARMINIS AVCTOR. Epicus enim, de quo loquimur, statim in propositione promittit, qua de re sit dicturus. ut Virgilium fecisse uidemus, et Latinos omnes, Homerum etiam in Iliade, μηνιν ἀΐδει θεῶν. et in Odyssæa. αἰδρα μοι εἴ=νεπε μῦθος etc. et hoc est, quod praecipit Aristoteles libro tertio rhetoricorum, cum inquit. εἰ δὲ τοῖς λόγοις, καὶ ἐπισημασμένα ἔστω λόγος, ἵνα περὶ εἰδῶσι τὸ οὐκ ἔστιν ὁ λόγος, καὶ μὴ κρέμαται ἢ διαίολα. in orationibus, et epicis carminibus propositio est futurae narrationis, ut, de qua re sit dicendum, praevideant, et mens suspensa non sit. uel dic, promissi carminis, idest prolixi, et longi, quale scilicet epicum est. de quo etiam Demetrius Phaleræus in libro de elocutione sic scribit, cum de exámetro loquitur, ὁ κλά=λαῖτος ἰσὸς μεγάλους. quod a magnitudine nomen accepit.

VII.

In uerbis etiam tenuis, cautusq; serendis.
 Dixeris egregie, notum si callida uerbum
 Reddiderit iunctura nouum, si forte necesse est
 Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 Continget, dabiturq; licentia sumpta pudenter.

Nunc de elocutione agit, quod ijs faciendum, qui de arte poetica scribunt. demonstrat Aristoteles, qui in sua poetice praecipit uberius περὶ τῆς λέξεως, idest de dictione. uidemus enim summos etiam oratores aliquando de uerborum significatione inter se contendisse, ut iccirco maximæ etiam uerborum faces inter eos exarserint. si hæc tanti fiunt ab oratoribus, quibus nihil est grauius, quanti fieri debent a poetis? nobilibus illis quidem, sed qui tamen dignitate ab oratoribus superentur. Cicero in oratore ad

re ad Brutum sic ait. Attamen in hoc ipso, examinante uerborum omnium pondera, reprehendit Aeschines quaedam, & exagitat, illudensq; dura, odiosa, intolerabilia esse dicit. & post. Itaque se purgans Demosthenes iocatur, negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hoc, an illud, huc, an illuc manum porrexerit. quo nam igitur modo audiretur Mysus, an Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur, ut putidus? poeta, inquit hic Horatius, sit TENVIS, ET CAUTVS, idest parcus, in SERENDIS VERBIS, idest innouandis. translatio est ab agricola, qui serit, nouas ut fruges metat. Cicero oratorem etiam sic monuit in Oratore ad Brutum. Ergo tenuis orator modo sit, elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecundus, & parcus, in priscis, reliquisq; ornamentis & uerborum, & sententiarum remissior. Sed de hoc longe plura Cicero ipse libro tertio de oratore ad Q. Fratrem, Quintilianus libro octauo, Fortunatianus libro tertio rhetoricorum. Iason per uerba serenda non noua, ut nos, intelligit, sed translata, et fallitur. nam postea agit de translatis Horatius. adiecit hoc Horatius, quia licet aliquando ὀνομαστὸν ποιῆν, idest fingere uerba, cum uerba desunt, ut Aristoteles etiam in praedicamentis affirmat, ubi de ijs agit, quae relatiua dicuntur, referuntur inter se remus, & id, quod remum habet. remum igitur dicendum, licet recens uerbum habeatur. Idem libro secundo de moribus ad Nicomachum, ἄλλο δὲ τῶν βαλόντων, ὁ μὲν τῆ ἀφοσίᾳ αἰώνυμος. qui supra modum timidus est, nomen non habet. Simplicius doctissimus Aristotelis interpres libro quinto physicorum, sectione decimaquinta sic inquit. Sed nominum inopia dubitationem excitat: cum enim rerum mutationes in duas, tresue distinguimus, in motum, ortum, interitum, cum aliae praeterea mutationum mutationes alio modo fiant, propria nomina nancisci non possumus. nam ut aliud Socrates est, & aliud secundum substantiae formam Socratis mutatio, sic harum ambarum mutationes differunt, & si quidem essent propria nomina mutationibus ortus, atque interitus, haec fortasse absurda quae uidentur, non consequerentur. haec quidem, quae Simplicius cum Aristotele refert, sic se habent: tamen inserendis, atque innouandis uerbis periculum est, ne decipiamur. unde in libro tertio rhetoricorum Aristoteles Lycophronem reprehendit, qui dixit, πλουπέσωπον οὐρανὸν, idest caelum multorum uultum: et illud Alcidaman- tis κυανόχρων τὸ τῆς θαλάσσης ἔδαφος. caerulei coloris pauimentum maris, et alia ibidem huius generis. NOTVM SI CALLIDA VERBUM REDDIDERIT IUNCTVRA NOVVM. declarauimus haec uerba in Parergis libro tertio cap. uigesimo sexto, tamen hic etiam aliquid dicemus contra aliorum omnium interpretationem. loquitur hic de metaphora, qua uerbum ante notum in sua significatione facis nouum, quia transfers. illud autem declarat iunctura callida, idest artificiosa. per iuncturam autem intellige uerba iuncta, & circumstantia. exempli gratia uersus Horatii citentur ex libro primo odarum: is enim scribens ad Torquatum de uere sic inquit.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,

D

Arboribusq; comæ.

Comæ hic pro frondibus, quæ dictio nota est, cum capillos significat. hic noua est, quia translata. eam tamen aperiunt uerba circumstantia: quia enim uer describit, & dixit gramina in campis uirere, consentaneum est, eum hic per comas arborum frondes intelligere, et uerisimile est Horatium hic, cum agit de dictione, metaphoram non prætermittere. de qua tam multa Aristoteles in sua poetice, ubi de dictione præcepta scribit. INDICIIS MONSTRARE RECENTIBVS ABDITA RE-
RV M. nouis uerbis quod sentis eloqui. Cicero libro primo tusculanarum quæstionum: fieri autem potest, ut quis recte sentiat, & id, quod recte sentit, polite eloqui non possit. uerba enim sunt animi indicia. Aristoteles in libro de interpretatione. ἃ ἐν τῇ φωνῇ ἢ τῇ ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. quæ in uoce sunt symbola, eorum sunt, quæ abdita sunt in anima. Plato in Cratylo ait orationem, ut picturam res imitari. ὅτι διακρίματα, καὶ προσενεκεῖν τούτων ἀμφοτέρω τὰ μμήματα, τὰ πλεονασμὰ φήματα, καὶ κείνα τὰ ὀνόματα ὅτις πέφυκασι, ὧν μμήματα ὄντι, ἢ οὐ; CINCTVTIS
CETHEGIS. quæ Cethegis exaudita uerba non sunt, noua sint necesse est: Cethegum enim inter priscos oratores posuit M. Tullius in Bruto, ubi sic inquit. M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiæ est author, & idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius. mox sic.

Additur orator Cornelius suauiloquenti
Ore Cethegus Marcus, Tuditano collega,
Marci filius, dictus ollis popularibus olim,
Qui tum uiuebant homines, atque æuum agitabant,
Flos delibutus populû, suadæq; medulla.

Horatius, inquit Porphyrio, Cethegos cinctutos appellat, quòd is mos esset Cethegis, ut cincti, & pene nudi in bella proficiscerentur. unde Lucanus, & Silius eos nudos, et exertos uocarunt. Ego præterea cinctutos hic dici Cethegos opinor, uel quia semper pro rep. aliquid gerebant, ad bellum etiam euntes, & ideo cinctuti, idest expediti erant. hinc illud Virgilij in Georgicis.

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas

Cæsaris.

Nam cum nosmet ad aliquod suscipiendum negocium comparamus, dicimur accingi. uel Cinctutos, idest antiquos, & antiquis uerbis utentes: uerbum enim cinctutum tunc frequens erat, cum ij uiuebant. sic Virgilius libro VIII. Vulcano antiquo deo uerba tribuit antiqua, ubi is Venerem alloquitur.

Quod fieri ferro, liquido'ue potestur electro.

Si prior plus arridet interpretatio, dic cinctutos, idest saga habentes: in sagis enim succincti erant Romani, quæ erant uestes militares. Cicero philippica sexta. Suetonius in Vitellio. ubi duci dat paludamentum, militibus saga. lege etiam Plutarchum in Crasso. Seruius exponens libro octauo illud Virgilij carmen, discinctos Mulciber Afros. uel habitum inquit eorum ostendit, qui usque in talos fluebat. quod Plautus ridet in

penulo dicens, quæ est illa avis? cum Afrum uidisset, uestem demissam trahentem. aut discinctos dixit inhabiles militiæ: omnes enim, qui militant, cincti sunt. aut certe inefficaces, ut contra præcinctos strenuos dicimus. Horatius, altius, ac nos præcincti sunt: unde & græce δὺζωνοσ appellatur, non qui bonam zonam habet, sed qui est strenuus. hæc Seruius. non igitur solis Cethegis mos hic erat, ut innuere uidentur Parrhasius, & Porphyrio, sed omnibus, ut cincti in bello essent. unde Dionysius Halicarnassensis libro nono de A. Virginio, & T. Numicio Coss. loquens in bello Volscis. καὶ αὐτοὶ ταξάμνοι περὶ τῶν πύλων σὺ τοῖς δὺζωνοτάροις. & ipsi ante portas cum optime cinctis locum tenentes. adde quod scribit Pausanias in Bœoticis, solitos dicere fuisse ueteres cingi pro armari, τὸ δὲ εἰδῆναι τὰ ὄπλα, ἐνθάδην ἄρ' αἱ οἱ παλαιοὶ ζώσανθαι. ubi Homerum etiam testem adhibet. Paulus Iurisconsultus libro uigesimo octauo Digestorum titulo de militari testamento, lege trigesima octaua sic ait. miles testamentum fecerat, deinde non ignominie causa missus, rursus cinctus in alia est militia. Sed illud in controuersiam rem adducit, nam cincti fuisse uidentur etiam in urbe. Suetonius in Iulio cap. XXXXV. sic ait: Usus enim lato clauo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, unde manasse Syllæ dictum constat, optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum cauerent. cui quiddam etiam de Cicerone addit Macrobius libro secundo Saturnaliorum, his uerbis. in Cæsarem quoque mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. nam primum post uictoriam Cæsaris interrogatus, cur in electione partis errasset, respondit, præcinctura me decepit, iocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam uelut mollis incederet. hæc Macrobius. nos uero Venetos, sapientissimos, et excelsi animi uiros, cinctos hyemis tempore uidemus, ut facilius frigus arceant. quid igitur dicendum? an fuisse cinctos in bello tantum? dic fuisse etiam in urbe cinctos, cum erant ab urbe discessuri, uel in urbe negocium aliquod expeditius administraturi, uel per firmum uado tempore incessuri. nam Ammianus Marcellinus libro uigesimosecundo sic ait, ubi de Iuliano Imperatore uerba facit. Inducta in iudicium foemina quædam, cum palatinum aduersarium suum è numero protectorum cinctum præter spem conspexisset, hoc factum insolens tumultuando querebatur, & Imperator, prosequere, ait, mulier, si quid te læsam existimas. hic enim sic cinctus est, ut expeditius per lutum incedat. parum nocere tuis partibus potest. **SUMPTA PVDENTER.** ut uel raro noua uerba effingas, uel si effingis, in eo pudens sis, non impudens, & stultus in fingendo, & transferendo. sumpta est metaphora ab eo, cui res est cum prodigo. pudens quæ debentur sumet, impudens extorquebit omnia. exempli gratia, apud Homerum libro secundo Iliadis Nestor sic alloquitur Agamemnonem, πόλιν οὐκ ἀλαπάξεισ. urbem non prædaberis. translatio hæc sumpta pudenter est ab herba, Lapatio, quæ corpus mirifice sordibus purgat. ut autem hæc corpus, sic hostes captam urbem opibus exinanire solent. de Lapatio herba Dioscorides libro secundo. ἀλαπάξεισ igitur uerbum Homerus à Lapatio prudenter sumpsit. ad locum Homeri respiciens Aristote-

les libro tertio rhetoricum, ubi agit de metaphora, sic inquit, τὸ γὰρ ἰσχυρὰ πᾶσαι ποιεῖ φαίνεσθαι σεμνοτέραι. uerbum illud ἰσχυρὰ πᾶσαι facit, ut oratio grandior, & honestior uideatur. Petrus Victorius, uir summus in litteris, uerbum illud sustulit, sic inquit. ἰσχυρὰ αὐτὴν emendauit, cum antea in excusis omnibus legeretur ἰσχυρὰ πᾶσαι, insulse prorsus, ac nullo sensu. cuius uiri industriam multis illustribus monumentis probatam non meum est reprehendere. illud tantum dixero, ex priore Aristotelis lectione politissimum sensum elici, si locus Homeri perpenditur, quò sine dubio Aristoteles cogitationem tanquam in scopum direxit.

VIII.

Et noua, fictaq; nuper habebunt uerba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta. quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus ademptum
Virgilio, Varioq; ? ego cur acquirere pauca
Si possum inuideor ? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit ? licuit, semperq; licebit
Signatum præfente nota producere nomen.

Noua uerba intelligit translata, ut superius, notum si callida uerbum reddiderit iun-
ctura nouum. translata enim uerba noua sunt. Aristoteles libro tertio rhetoricorum
similia ea dicit esse hospitibus, ὡς πρὸς τὸ πρὸς ἑστῶς οἱ ἀνθρώποι, καὶ πρὸς ἑστῶς
πολίτας, τὸ αὐτὸ πᾶσαι καὶ πρὸς τὴν λέξιν, διὸ δεῖ ποιεῖν ἐπίλω τὴν διάλεκτον.
quemadmodum enim homines erga hospites, & ciues affecti sunt, sic etiam ergo ora-
tionem, quare peregrina oratio facienda est. ficta autem uerba sunt, quorum nos primi
sumus auctores. nam ut ait Quintilianus libro octauo cap. de ornatu, omnia uerba uel
sunt propria, uel translata, uel ficta. mox de fictis agens, horum libertatem prære-
ptam ait esse Latinis, sic inquit. nam memini iuuenis admodum inter Pomponium
& Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an, gradus eliminat, in tragoedia dici
oportuisset. at ueteres ne expectorant quidem timuerunt. & post. Messala primus rea-
tum, munerarium Augustus primus dixerunt, Terentius primus obsequium, Hor-
tensius ceruicem: ante enim ceruices. fauor Ciceronis tempore nouum uerbum. is in epi-
stola ad Brutum, eum amorem, et eum, ut hoc uerbo utar, fauorem in consilium aduo-
cabo. quæ hic Horatius uocat ficta, Aristoteles lib. iij. rhetoricorum πεποιημένα idest fi-
cta, et ipse appellauit, ὁπῶν γλώττης, καὶ διπλοῖς ὀνόμασι, ἢ πεποιημένοις ἕ-
σιον: horum linguis, et duplicibus nominibus, et fictis utendum. M. Tullius in oratore
ad M. Brutum sic inquit. ornatus autem uerborum duplex, unus simplicium, alter col-
locatorum. simplex probatur in proprijs, usitatisq; uerbis, quod aut optime sonat, aut
rem maxime explanat: in alienis aut translatum, aut factum aliunde, aut mutuo, aut

factum ab ipso. ibi Maioragius docte, facta aliunde inquit, quæ reperta uocantur in partitionibus, ut soliuagas feras dicimus, quæ solæ uagantur, uel mutuo sumuntur, ut quæ abusiua dicuntur, sperare pro timere, equum ædificare pro fabricare, parricida pro interfectore fratris, uel sororis, uel facta sunt ab ipso oratore, quod nostro tempore fieri non licet, nisi res aliqua nomine caret, cui necesse sit nomen imponere, ut bombardæ, et quæ sequuntur. illud obiter annotandum, uerba, quæ dicuntur ab Aristotele πεποιθὲν, à Cicerone facta appellari. GRAECO FONTE. uerba ex græcis expressa sunt prope innumerabilia, sed etiam schemata ab illis sumpsimus. nam Horatius in hoc de arte poetica libro sic ait quodam loco. Inuitum qui seruat, idem facit occidenti. idem cum dandi casu iunxit, idest idem facit, quod occidens faceret. græca ratio est loquendi. Aristophanes in Pluto. δόξῃ δὲ μὴ εἶδεν ἴστω τῶ κεκτημένῳ, idest si non uideatur idem facere, quod possidens dominus. Propertius libro primo de Mimalione. Ibat & hirsutas ille uidere feras. uidere pro ad uidendum. Homerus libro quarto odysseæ de Helena. κρᾶδιν πείθετο πῶν ἰεῖο δαυ ἄρ' οἴκονδε. cor conuersum erat redire retro domum, pro ad redeundum. QUID AVTEM? si licuit hoc ueteribus poetis Cæcilio, & Plauto, cur non liceat etiam recentioribus Virgilio, & Vario? nam Plautus, præter alia, uerbo etiam integro græco usus est. argentum οἴχετο pro abiit. ut Budæus correxit in annotationibus in Pandectas. Cæcilius autem comicus poeta fuit non bonus. de eo Cicero in Bruto sic. nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuuium male locutos uidemus. Statius Cæcilius poeta comicus. Cicero in libro de perfecto oratore. M. Accij Plauti uitam scripserunt accuratius Crinitus, et Lilius. nos igitur de Plauto reticebimus. de Vario in odis Horatius libro prima.

Scriberis Vario fortis & hostium

Victor.

Fuit æqualis Virgilij, & Horatij. de eo Quintilianus libro decimo cap. primo sic. Iam Varij Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. de Virgilio ibidem. Vtar uerbis iisdem, quæ ab Afro Domitio iuuenis excepi. qui mihi interroganti quem Homero crederet maxime accedere, secundus inquit est Virgilius, propior tamen primo, quàm tertio. INUIDEOR. odio sum: parum enim inuidia distat ab odio. Aristoteles in rhetoricis ad Alexandrum, τὸ ἴδιον φθονεῖν ἀλλοτρίων τῶν μισεῖν ἴσθι. uide quid diximus in parergis libro tertio cap. decimonono, ubi locum Ciceronis ad Atticum declaramus. CATONIS, ET ENNI. utriusque antiqui auctoris. Cato fuit impolitus. de eo Cicero in libro de claris oratoribus sic. Orationes autem eius, ut illis temporibus, ualde laudo: significant enim quandam formam ingenij, sed impolitam, & plane rudem. de eodem. Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorum, quasi exaggerata altius oratio. de eodem in Oratore ad Brutum, sic. indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis. eum scribit Plutarchus in uita, Demosthenem Romanum fuisse appellatum. Quod autem attinet ad Ennium, is fuit Calaber poeta, Rudijs natus. in oratione pro Archia Rudijs dicitur. Eusebius uero Tarentinum fuisse testatur. Scipionibus ita fuit acceptus, ut in eorum sepulchro conditus fuerit.

IN POETICEN HORATII

Cicero pro Archia . dictus tria corda habere , quod tres linguas nosset : græcam , latinam , oscam . Gellius . de eo Fabius sic . Ennium sicut sacros uetustate lucos adoremus , in quibus grandia , & antiqua robora iam non tantam habent speciem , quantam religionem . erat Ennius sententijs grauis , at nullis uerborum luminibus illustratus . unde Ouidius , Ennius ingenio maximus , arte rudis . Virgilius respondit se ex stercore Ennij aurum excerpere . ut Donatus scribit . Ennius dixerat de tuba . At tuba terribili sonitu tara tantara dixit . Virgilius libro nono maluit sic . at tuba terribili sonitu procul ære canoro Increpuit . Ennius ipse sibi hoc epitaphium uiuens scripsit . de quo Cicero meminit in Catone .

Aspicite ò ciues senis Ennij imaginis urnam ,
Hic uestrum panxit maxima facta patrum .
Nemo me lachrymis decoret , nec funera fletu
Faxit . cur ? uolito uiuus per ora uirum .

Scipionem Africanum superiorem ad bella etiam sequutus est , ita erat summo Imperatori coniunctus . unde Claudianus sic cecinit .

Hærebat doctus lateri , castrisq; solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas .

M. Fuluium Nobiliorem in Aetoliam sequi uoluit , quare Fuluius male audiit . Cicero libro primo tusculanarum quaestionum sic . honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis , in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori , quod in prouinciam poetas duxisset : duxerat autem consul ille in Aetoliam , ut scimus , Ennium . SIGNATVM PRÆSENTE NOTA PRODVCERE NOMEN . ut licuit semper nummos nouis notis excudere , sic semper noua uerba reperire licebit . similitudo est à re nummaria . alij omnes legunt producere : sic enim in codicibus excusis est . memin tamen me audire ex Lazaro Bonamico , uiro eruditissimo , præceptore meo , cui multos annos Patauij operam dedimus , se codicem manu scriptum habere , in quo erat producere , non producere . quod uerbum similitudini huic à re nummaria multo aptius est . quid enim excogitari potest elegantius ? præterea non nomen , sed nummum libentius legerim . nam nomen est , quod in libro significat rem creditam , & debitam . Cicero oratione tertia contra Verrem . Hinc ratio cum Q. et Cn. Posthumij , Curtij , multis nominibus , quorum in tabulis iste habet nullum . quod uero ad notas nummorum attinet , in nummis Romanis primum Ianum fuisse bifrontem scimus , & proram , deinde bigas , quadrigas , uictoriam , Theseum Athenis bouem in nummis impressisse , mox apud Athenienses noctuam fuisse impressam , unde Gylippi seruus multas sub tectis heri cubare noctuas dixit . Thræzeni tridentem habuerunt , Persæ sagittarium , Germani ferram , Dardani duos gallos , Rhegini leporem , & currum , Cephalenæi equum , Argiui murem , Locri Hesperum , Peloponnesii testudinem , Tenedij securim , Cizycæni Cybelem , & Leonem , Corinthij Pegasum , Gergithij sybillam . uide plura apud Alexandrum libro tertio dierum genialium , capite decimo quinto .

IX.

Vt sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
 Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
 Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;
 Debemur morti nos, nostraq; , siue receptus
 Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
 Regis opus, sterilis ue diu palus, aptaq; remis
 Vicinas urbes alit, & graue sentit aratrum,
 Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis
 Doctus iter melius. mortalia facta peribunt,
 Nedum sermonum stet honos, & gratia uiuax,
 Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq;
 Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
 Quem penes arbitrium est & uis, & norma loquendi.

Quemadmodum res omnes humanæ uicissitudine quadam intereunt, & rursus renouantur: quicquid enim sub luna constitutum est, immutatur, & eodem in statu permanere non potest diutius: unde Ouidius, tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas omnia conteritis: sic etiam uerborum quædam obsoleta fiunt, quædam ab usu recipiuntur. & primum à folijs arborum similitudinem petit Horatius. nam ut illa, quæ olim uiruerunt, nunc collapsa sunt, & exaruerunt, & contra alia renascuntur ueris tempore, sic uerba olim celebrata, nunc putida uidentur, & noua quædam eorum loco coluntur. VT SYLVÆ FOLIIS. totus hic locus expressus est è Cratylo Platonis: ibi enim Plato sic inquit, cum de uerborum hac ipsa mutatione loqueretur, ἀλλὰ ὡς τὰ περὶ γμάτα ἔγω πεφυκέναι, ἃ δὲν αὐτῶ μόνιμον εἶναι, οὐδὲ βέβαιον, ἀλλὰ ῥεῖν, καὶ φθρεῖσθαι, καὶ μετὰ εἶναι πάσης φορᾶς, καὶ γλιέσθαι αἰεὶ. sed ipsæ res humanæ hoc insitum à natura habent, ut earum nulla stabilis, & constans habeatur, sed defluant, & ferantur, semper aliæ corrumpantur, aliæ uero generentur. dictio illa φορᾶς, fortasse in φθορᾶς uertenda, quia sequitur illa γλιέσθαι. corruptio autem, & generatio iungi solent, de quibus libri extant Aristotelis. nota est enim propositio. corruptio unius est generatio alterius. hæc uero à folijs arborum similitudo, sumpta est ex Pindaro. qui ode ultima Nemeorum, qua Aristagoram præsidem Tenedium celebrat, maiorum uirtutes in nepotes infundi affirmans, in quibus illi uidentur renasci, sic inquit,

εἰ χερῶν δ' οὐτ' ὦν μῆλαιναί κ' ῥ' πὸν ἔδωκεν ἀρούραι,
 δεισθεῖα τ' ἔκ' ἐδίλει πάτραις ἐπέων ποδιδόδοις
 αὐθὺς δ' ὡδεις φέρειν, πολούτῳ ἴσον,
 ἀλλ' εἰ ἀμείβοντι, καὶ
 θνατὸν οὐτῶ θεῖος ἄρει

IN POETICEN HORATII

μοῖρα. Nec in promptu nigra fructum dederunt rura, arboresq;
 nolunt omnibus annorum circuitionibus florem benevolentem ferre, diuitijs similem, nisi
 per permutationem. sic etiam mortales vires ducit fatum. PRONOS. anni proni
 sunt, quia celerrime uolant, ut flumina etiam prona, quibus anni similes dicuntur ab
 Ouidio, Eunt anni more fluentis aquæ. Horatius in epistolis libro primo. Rusticus ex=
 pectat dum defluat amnis. VERBORVM VETVS INTERIT AETAS.
 prisca uerba respuuntur. unde Dionysius Hæarnasseus in Lysia, diætionem Lysia
 laudans, sic inquit: καὶ τῆς ἀπικῆς γλώττης ἀριστος κωνῶν, οὐ τῆς ἀρχαίας, ἢ
 κέχρηται πλάτων, καὶ Θουκυδίδης, ἀλλὰ τῆς κατὰ ἐκείνον τὸν χρόνον ὑδιχωρια=
 ζούσης. Atticæ linguæ optimus obseruator, optima regula, non prisca illius, qua Pla=
 to, & Thucydides usi sunt, sed illius, quæ eius seculo in summa erat celebritate. Cice=
 ro in Oratore ad Brutum, sed etiam inquit inusitata, ac prisca sunt in proprijs, nisi
 quod raro utimur. Phauorinus apud Gellium libro primo cap. X. arguens quendam,
 qui priscis uerbis delectabatur, plurimum uiue inquit moribus præteritis, loquere uer=
 bis presentibus, & Cæsaris illud habe semper in memoria, ut tanquam scopulum, sic
 fugias inauditum, atque insolens uerbum. hæc ipsa inuenies apud Macrobiū libro
 primo Satur. cap. secundo. uide præterea Quintilianum libro primo, cap. septimo.
 IUVENVM RITV. Iuuenes enim similes floribus sunt. Pindarus ode quar=
 ta Pythiorum.

νῦν δ' ὥστε φοινικαίμου ἦρος ἀκμῆ
 πασι γύγεις ὄγδρον δάλ=
 λειμῶρος ἀρκεσίλαος.

Nunc autem ut purpureos flores gignen=
 tis ueris tempore cum his pueris octauus germinat Arcesilas. Aristoteles libro tertio rhe=
 toricorum, ubi de translationibus uerba facit. ὥσπερ πόρφυρῶν ἐφῆ πῶ νεότητι πῶ
 ἀχλωμίῳ ἐν τῷ πλέμῳ οὕτως ἠφαιίδου ἐν τῆς πόλεως, ὥσπερ εἰ τις τὸ ἔαρ
 ἐν τῆς ἐνιαυτῆς ἔλθῃ. ut Pericles dixit iuuentutem bello amissam sic è ciuitate eua=
 nuisse, ut si quis uer ex anno eximat. doctissimus poeta Horatius hæc non ignorabat,
 quare ea bellissime hic innuit, quæ in ueterum monumentis dispersa leguntur. DE=
 BEMVR MORTI NOS NOSTRA QVE. nos etiam, inquit Horatius,
 & nostra omnia peribunt, quare mirandum non est, si uerba, quæ olim uiguerunt,
 suam quandam senectam habent, & intermoriuntur. Hormisda, qui Romam uene=
 rat cum Constantio Imperatore, ut scribit Ammianus Marcellinus libro XVI. cum
 ex eo quidam quæssissent, quid de Roma sentiret, id tantum sibi placuisse respondit,
 quod uidisset ibi quoque homines mori. Alij autem fato, alij non fato moriuntur. Vel=
 leius Paterculus libro secundo de Scipione Aemyliano, seu fatalem, inquit, ut plures,
 seu conflatam insidijs, ut aliqui prodidere memoriæ, mortem obijt. Vtcunque, omnes
 seu fato, seu non fato interimus. uide etiam Gellium de hoc fatali, & non fatali inte=
 ritu libro duodecimo, cap. primo. SIVE RECEPTVS TERRA NEPTV=
 NVS, &c. Acron sic ait. quem demum alij omnes sequuntur. Augustum dicit, qui
 siccauit

siccavit pontinam paludem . nam regis opus est , mare admittere terræ : reges enim ta-
lia faciunt . Diuus Augustus duas res diuinas fecit , pontinam paludem siccavit , ut ad
mare meatum haberet , ut post & arari posset ; et portum Lucrinum muniuit . de quo
Maro . an memorem portus , Lucrinoq; addita claustra , Atque indignatum magnis stri-
doribus æquor ? Iulia qua ponto longe iacet unda refuso . hæc Acron . quæ uerba nos
expendemus pro uirili parte . docet Horatius omnia immutari , ut , ubi olim terra fuit ,
nunc mare receptum sit , idest aliquis sit portus , unde factus portus naues excipit , et
eas arcet , idest defendit ab Aquilonibus , & uentis omnibus . Ego non intelligo de Lu-
crino , & Auerno , quia mare à C. Cæsare reiectum , non receptum in terram fuit , ne
his lacubus noceret . unde Virgilius libro secundo Georgicorum .

An memorem portus , Lucrinoq; addita claustra ?

Atque indignatum magnis stridoribus æquor ?

Iulia qua ponto longe iacet unda refuso .

Vbi seruius sic inquit.

in Baiano sinu Campaniæ contra Puteolanam ciuitatem lacus sunt duo , Auernus , et
Lucrinus , qui olim propter copiam piscium uectigalia magna præstabant , sed cum
maris impetus plerunque irrumpens exinde pisces excluderet , & redemptores graui-
damna paterentur , supplicauerunt senatui ; & profectus C. Iulius Cæsar ductis bra-
chijs exclusit partem maris , quæ ante infesta esse consueuerat . & quæ sequuntur . ego
uel generatim omnes portus intelligendos arbitror , qui nunc sunt , ubi olim terra erat .
quando hæc etiam commutantur , urbes , montes , fluuij . lege Sulpicij epistolam ad Ci-
ceronem libro quarto epist. famil. & Aelianum libro octauo . ubi hæc eius uerba le-
guntur , cum ait non esse quod doleamus ob mortem hominum , ὅπου καὶ τῶ ποτα-
μῶ ὄρω μὲν ἔτι λείποντας , καὶ τῶ ὄρω δὲ τὰ ὑψηλότερα ἀνοδομὲν μειομένα , καὶ
ἐκείνα . quando & amnes deficientes uidemus , et altissimos montes depresso fuisse au-
dimus . plura huius generis apud Aristotelem leguntur sub finem libri primi Meteorolo-
gicorum . uel de Aegyptijs regibus interpretor , quos constat nauigantibus multis
modis consuluisse , ne in scopulosa loca uenirent , turribus etiam extructis in portibus ,
unde illis faces elucerent . inuenies hæc apud Lucianum sub finem libri , de historia con-
scribenda . ideo Horatius dixit , regis opus . at reges Iulius Cæsar , & Augustus nun-
quam dicti fuerunt , quinimo Cæsar diadema sibi impositum à M. Antonio Luperco
abiecit , cum uehementer commotum populum uideret ; ut est in philippica secunda Ci-
ceronis . & cum eum quispiam regem salutasset , Cæsaris sibi nomen esse dixit , non
Regis , adulationem illam iniquo ferens animo . STERILIS PALVS . ponti-
nam paludem intelligit , quam Cethegus exsiccauit . Acron uero sic . sterilisq; diu pa-
lus , lucrinum portum significat , & alios , qui manu facti sunt ab Augusto , et alia
regum opera : hoc est regis opus , quod nullus facere potest , nisi rex . fallitur Acron .
nam Cethegus ita paludem pontinam exsiccauit , ut postea solum sit aratum , & ma-
gnam uim frumenti emiserit , ut est in Liuij epitomate libro quarto . unde ex historia
sequitur , GRAVE SENTIT ARATRVM . ut illud Virgilij . Et campos ,

IN POETICEN HORATII

ubi Troia fuit . Ouidius . Iam seges est , ubi Troia fuit . SEU CURSVM MV= TAVIT . Tybris ante per Velabrum fluebat , infestus frugibus . Augusti iussu Agrippa eum in alueum deduxit , quo nunc decurrit . quod Acron etiam annotavit . Suetonius de eius operibus publicis , ad coercendas , inquit , inundationes alueum Tyberis laxavit , ac repurgavit completum olim ruderibus , et ædificiorum prolapsionibus coar= etatum . et paulo ante dixit multa opera ab eo per Agrippam facta . MORTALIA FACTA PERIBVNT . ne dum uerba . contra dicere uidetur ode ultima li= bri tertij .

Exegi monumentum ære perennius,
Regaliq; situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax , non aquilo impotens
Possit diruere , aut innumerabilis

Annorum series , & fuga temporum .

Exprimens illa carmina Pin=

dari , quæ sunt in Pythijs ode sexta .

τὸν οὐτὲ χειμῶνιος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν , & quæ sequuntur .

Responde Horatium hic sincere , ut de rebus alienis , sententiam ferre : ibi de suis scriptis loquebatur , quibus immortalitatem percupiebat . HONOS . recte , honos , dixit . nam hic in causa est , ut artes omnes excolantur . Cicero libro primo quæstionum tuscu= lanarum . honos alit artes , omnesq; incenduntur ad studia gloria . an censemus , si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset , quod pingeret , non multos etiam apud nos fu= turos Polycletos , & Parrhasios fuisse ? in quibus Ciceronis uerbis mendum est obiter tollendum : quis enim non miretur Polycletum à Cicerone inter pictores positum esse , cum is statuarius fuerit ? ut Plinius testatur . reponere Polygnotos . sic enim olim Egnatius , summæ uir eruditionis , cum Tusculanas quæstiones Venetijs interpretaretur , emenda= uit . VIVAX . perdurans . nam quod diuturnum bonum est , semper antecellit . Aristoteles libro tertio Topicorum , τὸ πλὴν χρόνιῳ τὸ βίαιον , αἰρετὸν τὸ βίαιον τῆς ἡπιότητος βίου . quod diuturnius , & stabilius est , eligendum potius , quàm quod minus tale est . Plato in Phædro , ubi Phædrus Socrati Lysia disputationem exponit , præponendum amanti non amantem amicum contendit , quòd amans potitus flore de= ficit , ἐπειδὴ τῆς ὑπὲρ μίαν πάσσανται . non amans solet amicitiam tueri constan= tius . usque adeo id , quod uiuax est , et diuturnum , semper expetitur . SI VOLET V S V S . qui omnium magistrorum præcepta superat , ut narrat Cicero libro primo de Oratore . qui magister est optimus : in oratione pro Rabirio . cuius filia sapientia di= cebatur ab Afranio : Gellius . NORMA LOQVENDI . sic Cicero in Academi= cis , hæc norma , hæc regula , hæc præscriptio est naturæ . præscriptum alibi dicit Cice= ro , ut in oratione pro Cluentio . omnia legum imperio , & præscripto fieri uidebitis . in libro secundo de inuentione , Cuius rei certum quiddam præscriptum uidetur in perpe= tuum dari posse .

X.

Res gestæ regumq; , ducumq; , & tristia bella
 Quo scribi possent numero , monstrauit Homerus .
 Versibus impariter iunctis querimonia primum ,
 Post etiam inclusa est uoti sententia compos .
 Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor ,
 Grammatici certant , & adhuc sub iudice lis est .
 Archilochum proprio rabies armauit Iambo ,
 Hunc focci cepere pedem , grandesq; cothurni
 Alternis aptum sermonibus , & populares
 Vincentem strepitus , & natum rebus agendis .
 Musa dedit fidibus diuos , puerosq; deorum ,
 Et pugilem uictorem , & equum certamine primum ,
 Et iuuenum curas , & libera uina referre .

Posteaquam Horatius satis multa de inuentione , de dispositione , & de elocutione dicta esse animaduertit , quia omnibus carminum generibus omnia non conueniunt , sed singula pene argumenta rerum suis numeris quasi typis debentur ; nunc docet quibus uersuum generibus uariæ res animo conceptæ explicandæ sint . qui enim bella scripturus est , & res gestas fortissimorum uirorum , is epico numero utetur , & heroico uersu : qui amores , elego . qui inimicum maledictis insectabitur , Iambo . qui de Dijs , & Olympionicis , item de amoribus canet , lyricum numerum sibi deliget . reprehendit Chæremonem poetam Aristoteles in poetice , qui confunderet omnia uersuum genera , ἐπὶ δὲ ἅτε πῶ τῶδον , εἰ μὴ γινῶσι τις ἄλλα , ὡς πρὸς χοιρήμων . quæ res Horatium mouit , ut de tota hac ratione aliquid præscriberet . Demetrius Phaleræus in libro de elocutione sic incipit , ὡς πρὸς ἡ ποίησις διαρῆται τῆς μέτρῳς , οἷ ἡ μίμῳς , ἡ ἰζαμῳς , ἡ τῆς ἄλλῳς , & quæ sequuntur . quemadmodum , inquit , poesis diuiditur metris , ut semimetris , & exametris , & alijs . necessarium igitur fuit ei , qui de arte poetica scriberet , de poetices uarijs generibus aliquid addere . ea ponit M. Tullius in libro de optimo genere oratorum , his uerbis . Oratorum genera esse dicuntur tanquam poetarum . hoc secus est . nam alterum est multiplex : poematis enim tragici , comici , epici , melici etiam , ac dithyrambici . quas omnes species Aristoteles etiam numerauit in poetice . quos uero melicos uocat Cicero , ille sic expressit , καὶ τῆς αὐλητικῆς ἢ πλεῖστη , καὶ κρητικῆς ποίησις . & poesis , quam ad tibias , citharasq; accommodamus . Horatius epicos nominauit , tragicos , comicos , melicos ; addidit elegos , qui , ut arbitror , in epico continentur ; & iambum , qui in comico , & tragico poemate . Sed de dithyrambis cur nullum uerbum ? quos Aristoteles , & Cicero non prætermiserunt . turpe autem uidetur , ut est apud Ciceronem in Topicis , in diuisione aliquam partem omittere . responde , nullum uerbum apud Horatium esse de dithyrambis , quia poema id antiquos

rum fuit, nemo amplius scribebat dithyrambos, quibus ueteres Bacchum canebant: illi enim Bacchum διθύραμβον appellabant, quod ebrijs amplum, et uastum os redderet, quasi διθύρον. uide de his multa apud interpretem Lycophronis. In odis, ubi de Pindaro.

Seu per audaces noua dithyrambos

Verba deuoluit, numerisq; fertur

Lege solutis.

Quid? si hos melico poemate complexus est? quo dixit Diuos cani? Musa dedit fidibus diuos etc. Ergo, si ita est, nihil prætermissum uideri potest. MONSTRAUIT HOMERVS. Heroicum intelligit, quo usus est Homerus. causa est in poetice Aristotelis. τὸ ἥρωϊκὸν σασιμῶτατον, καὶ ὀκωδίστατον τῶν μέτρων ὄντι, διὸ καὶ γλώττιος, καὶ μεταφορᾶς δέχεται μάλιστα. heroicum carmen multo stabilius, et amplius est reliquis, quare linguas, et translationes maxime recipit. Eustathius libro primo Iliadis in proœmio. ὀνομάσαι ἐποποιῆς, ἔως εἰς Ἰζαμέτῳ τόνῳ ἥρωϊζόντας. Epicos nominasse, qui numero exametro heroum res gestas scriberent. VERSIBVS IMPARITER IUNCTIS. Elegos intelligit impares, quia exametro constant, et pentametro. his querimonia inclusa est, quia ἀπὸ τῆς ἐλέου, idest a miseratione dicuntur. Vnde Ouidius in Elegia de morte Tibulli,

Flebilis indignos elegeia solue capillos,

Ah nimium ex uero nunc tibi nomen erit.

His mortui deflebantur. iccirco Ouidius ait, nunc uere uocari posse elegiam. Proclus in libro πρὸς χρησομαθίαν sic inquit, ἐλέγεια συγκείδου μὲν ἐξ ἥρωου, καὶ πενταμέτρου, ἀρμόζειν δὲ τοῖς καὶ ἰσομελείοις, elegiam quidem ex heroico, et pentametro compositam, mortuis autem conuenire. Cicero etiam de legibus, epitaphium uult non pluribus quatuor uersibus confici, quos Ennius uocat elegos. his postea poetæ suos etiam scriptitarunt amores. Hos enim innuit Horatius, cum inquit, Voti sententia compos. amantes autem mortuis dissimiles admodum non sunt, si quidem sine anima semper uidentur esse, quæ in amatum corpus migrare dicitur. apud Laertium Plato de se ipso libro tertio et de Agathone sic inquit.

πρὸ ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν ἔχεισι χεῖλεσιν ἔχον,

ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Animam Agathonem osculans in labris habebam.

Venit enim infelix tanquam abitura.

Ideo apud iuris consultos qui amat, deterior factus putatur. nam Vlpianus libro undecimo Digestorum, titulo de seruo corrupto, lege prima, is quoque inquit deteriore facit, qui seruo persuasit, ut iniuriam faceret, uel furtum, uel fugeret, uel ut alienum seruum sollicitaret, uel ut peculium intricaret, aut amator existeret, uel erro, et quæ sequuntur. Præterea per sententiam uoti compotem accipere possumus eos omnes, qui aliquid, quod uehementer expetiuerant, sunt consecuti: hi enim elegis animi iucunditatem testantur, ut fecit Tibullus, ubi uictoriam Messallæ describit, libro I. elegia VII. præter alia sic.

At te uictrices lauros Messalla gerentem

Portabat niueis currus eburnus equis. &c.

EXIGVOS ELEGOS. tenues, si cum heroico, de quo proxime dixit, conferantur. non enim tam alte se attollunt, nec tam grauius sonant, nec omnino tam sublimi stylo conficiuntur. GRAMMATICI. cur iudicium hoc ad grammaticos res tulerit, docere potest Quintilianus, qui libro primo cap. sexto sic inquit de grammatica loquens. hæc igitur professio cum breuissime in duas partes diuidatur, recte loquendi scientiam, & poetarum enarrationem, plus habet in recessu, quàm fronte promittit. lectio poetarum ad grammaticos pertinet. ù fuerunt igitur de inuentore elegorum iudices adhibendi. Plato non de grammatico, sed de literatore loquitur in Carmide, ἢ οὐ οὐδὲν ἢ γὰρ περὶ τῆς τῶν γραμματικῶν, ὅταν γράφει, ἢ ἀναγνώσκει. ARCHILOCVM PROPRIO. Iambum proprium uocat Archilochi, quia Archilochus genus hoc maledicentis carminis inuenit, cum ille Lycambem socerum Iambis ita est insectatus, quòd sibi filiam desponsatam non daret uxorem, ut illum ad laqueum cum filia impulerit. Horatius libro secundo epistolarum, scribens ad Mecœnatem.

Temperat Archilochi musam pede mascula Sapho,

Temperat Alcæus, sed rebus, & ordine dispar,

Nec socerum quærit, quem uersibus oblinat atris,

Nec sponsæ laqueum famoso carmine necit. Ouidius in Ibim.

Tincta Lycambæo sanguine tela feram,

Iambi reperti sunt, quo primum tempore poesis in laudes hominum & conuitia diuisa est, ut refert Aristoteles in poetice, his uerbis, ἐν οἷσ καὶ τὸ ἀρμόγιον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον, διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τῶν ἰαμβιζόντων ἀλλήλων, καὶ ἐγένοντο τῶν παλαιῶν οἱ μὲν ἠρωικῶν, οἱ δὲ ἰαμβῶν ποιῶσι. quibus et congruens Iambicum metrum accessit, iambicumq; propterea nunc appellatur, quòd his plerumque numeris ueteres ἰαμβίζεν, idest conuiciari inter se solebant. et ex antiquis hi quidem Epicorum, hi uero Iamborum poetæ extiterunt. quod uero attinet ad Archilochum, fuit rabie plenus, ut hic etiam dicit Horatius, cuidam, qui ei maledictis detraherat, ut est apud Lucianum in pseudologista, sic respondit, τί τινα τὸν αἰδρα εἰληφθῆαι τῶ πτόρου. hominem illum cicadam ala corripuisse, se uidelicet cicadam esse innuens, qui laceffitus silere non posset. fuit ex insula Paro, ut ait Strabo, expulsus à Lacedæmonijs ob maledica scripta fuit, ut Valerius Maximus scribit, ne iuuentutem ad maledicentiam inuitans deprauaret. Plutarchus uero iccirco eiectum ait fuisse, quòd scripserat, melius esse clypeum abijcere, quàm mori. Horatius inuentorem Iambi hunc fuisse affirmat, cui tamen Aristoteles reclamare uidetur in poetice, ubi Homerum Iambis usum innuit in Margite, οἷς ἐκείνου ὁ μῦθός τις, etc. HVNC SOCCI CEP. PED. GRANDES QVE COTHURNI. Iambus in comœdias & tragœdia: fuit admissus, comœdi soccis utebantur, tragœdi uero cothurnis. Horatius libro secundo epistolarum de Plauto. Quàm non astricto percurrat pulpita socco. Virgilius

IN POETICEN HORATII

in æglogis . Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno . Iambis autem in tragœdia uti ueteres cœperunt , postquam satyri ex ea fuerunt explosi : tunc utebantur tetrametris , quia satyricis saltationibus erant aptiores uersus : mox recepta sunt trimetra , idest iambica . Aristoteles in poetice τὸ ἑμμέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο , τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρον ἐχρῶντο δὲ τὸ σατυρικῶν , καὶ ὀρχηστικῶν τῶν εἶναι πλεονεχόντων . trimetrum ex tetrametro Iambicum factum est : tetrametro enim primum utebantur , quia satyrica , magisq; saltatoria poesis erat . loquitur autem hic Aristoteles de tragœdia . ALTERNIS APTVM SERMONIBVS . in tragœdia , & comoedia personæ loquentes inducuntur : Iambus autem uel imprudentibus nobis in sermone excidit . nam nostra colloquia Iambis referta sunt . fuit igitur Iambus in tragœdiam , & comoediam adhibendus . Aristoteles in poetice , πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους . plurimis enim Iambis in colloquio utimur . et supra appellarat Iambum λεκτικόν . idest , ut ita dicam , dicibilem . Iambus uero qualis sit , docet Dionysius Halicarnassæus in libro de compositione , ubi ait constare eum ex breui , & longa syllaba , si breuem habeat ἡκουμένην , idest præcedentem . Cicero in oratore ad Brutum de hac re sic inquit . sequitur ergo , ut , qui maxime cadant in orationem aptam numeri , uidendum sit . & sunt qui Iambicum putent , quòd sit orationi simillimus : qua de causa fieri , ut is potissimum propter similitudinem ueritatis adhibeatur in fabulis , quòd ille daëtylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior . & post . quod longe Aristoteli uidetur secus , qui iudicat heroum numerum grandiozem , quàm desideret soluta oratio : Iambum autem nimis è uulgari esse sermone . Theon in progymnasmatibus cauendum esse docens , ne uersus in orationem incidat , Iambos non caueri posse affirmat , συγγνώμης δὲ ἀξίον ὄπταν εἰς ἐκείνα τὸ ἐμπέσῃ πρὸς τὰ μέτρα , ἀπὸρ ἔχει ὁμοιότητα πρὸς τὸ πρῶτον , οἷον ἐστὶ τὸ ἰαμβικόν . uenia dignum est erratum , cum quis in ea metra incurrit , quæ cum oratione similitudinem habent , ut metrum Iambicum . recte autem sermones Horatius dixit : sermo enim duorum est colloquentium , medius sermo , cum alter non respondet . Virgilius libro quarto de Mercurio Aeneæ responsum non expectante ,

Tali Cyllenius ore locutus

Mortales uisus medio sermone reliquit .

Antequam partem hanc

interpretationis dimittamus , perpendendum est diligenter , quod supra diximus Iambum ab Aristotele fuisse dictum λεκτικόν , idest , ut ita dicam , dicibilem . nam uir doctissimus Maioragius apud Ciceronem in oratore Iambum λεκτικόν interpretatur , aptum orationi , si ἀπὸ τῆς λέξεως deducatur , uel elegantem , si ἀπὸ τῆς λεκτικῆς . adducit etiam testimonium Ciceronis , qui ibi Iambum orationi simillimum dixit esse . ego , ut rem in pauca conferam , Ciceronem existimo recte sensum Aristotelis expressisse . nam Iambus omnino orationi simillimus est . λεκτικόν autem Iambum dici ab Aristotele opinor , quòd , ut ita dicam , dicibilis est , idest , quòd , cum de aliqua re dicimus , iambo uel inuiti in dicendo utimur : neque enim uitare eum possimus , nisi de industria :

ita alternis sermonibus aptus est, ut hic ait Horatius, unde Theon in progymnasmatibus, διὸ καὶ πάντες οἱ συγγραφῆς ἀκόντες ἐπιπῆουσιν εἰς τὸ γένος τῆς ἰαμβῆς. idest, quare omnes scriptores inuiti in hoc pedis genus incurrunt. & loquitur de Iambo. si igitur Iambo uel nolentes scriptores utuntur, Iambus est λεκτικὸς, idest dicenti occurrens, et, si latine dicere possemus, dicibilis, idest ultro se orationi offerens. nam si, ut Maioragius, aptum orationi, uel elegantem exponemus, huic pedi tribuemus, quod alijs etiam conuenit pedibus, uel numeris. quare doctissime mea quidem sententia Petrus Victorius apud Aristotelem libro tertio rhetoricorum, ubi de heroico numero hæc uerba leguntur, σεμνὸν, καὶ λεκτικὸν, καὶ ἀρμόγνιον δρόμεον, idest amplum, dicenti occurrentem, harmonia egentem, mendum sustulit, addens particulam οὐ, ut legamus οὐ λεκτικὸν: quo modo enim heroicus numerus potest esse λεκτικὸς, cum sit amplus, & grandis?

POPULARES VINCENTEM STREPITVS. Acronis hic sententia maxime mihi uidetur esse probabilis: ille enim sic uincens strepitus populares, idest altius sonantem in scena, quàm clamor populi. mox alteram sententiam sic addit. tales inquit strepitus excedit iste pes, ut uincat populi clamores, quia Iambus uincit clamores spectantium, hoc est, quia plus meretur laudari, quàm laudetur. prior mihi interpretatio Acronis placet, quam etiam corroborabimus. nam in theatris tumultus, & clamor erat, comædi, & tragædi altius uocem tollere cogebantur, & tollebant: & quia Iambis frequentibus utebantur, Iambus populares strepitus uincebat: nam qui recitabant, licet esset aliquis tumultus, & strepitus, tamen audiebantur. de hoc clamore in theatris, cum poemata recitabantur à comædis, & tragædis, Horatius sic libro secundo epistolarum, ad Augustum scribens.

Nam quæ peruincere uoces

Eualuere sonum, referunt quem nostra theatra?

Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum:

Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes,

Diuitiæq; peregrinæ.

Demosthenes Ἰορῦβους uocat, quos hic Ho-

ratijs strepitus populares. qui oratoribus etiam concitabantur. in oratione πρὸς Πύρρον, de Aeschine loquens pro Philippo dicente, καὶ Ἰορῦβούτων ὑμῶν, καὶ οὐκ ἐθέλοντων ἀκούειν αὐτοῦ. obstrepentibus uobis, & audire illum nolentibus.

NATVM REBUS AGENDIS. quia in comædijs, & tragædijs adhibetur, in quibus res geruntur, exempli gratia. in Andria Terentij Dauus Simoni fucum facit, spem Pamphilo affert, habendæ amasiæ uxoris: Simo nuptias simulat: Carinus curat sibi desponsari eam, quam Pamphilus negligebat. & alia huiusmodi. In tragædia etiam geri res inuenies. in Electra Sophoclis. Electra parentem à crudeli matre, & ab Aegisto necatum deflet, credit primo Orestem etiam procul à patria mortuum, mox Orestes ignotus uenit, & Clytemnestram matrem occidit, ultus Agamemnonem patrem: quare Aristoteles libro tertio rhetoricorum de Oreste, πατρὸς ἀμύνητωρ, inquit, idest patris ultor, etc. Dixit autem Horatius Iambum esse natum rebus agendis, quia

ultro alternis in sermonibus, quibus res gestæ commemorantur, occurrit, & expressit Græcorum illud πῆφικε, quem eruditi uiri, Theodorus, Argyropylos, Alcyonius aptum natum uertere ex Aristotele solent, & Horatius utrunque apposuit, paulo ante Alternis aptum sermonibus. hic uero, natum rebus agendis. MUSA DEDIT FIDIBVS DIVOS. etc. nunc de lyricis poetis dicit, quibus proprium canendi argumentum præscribit, ut de Diuis, de Olympionicis, de amoribus, & conuiujs canant: eos autem per fides intelligit: à lyra enim, & fidibus nomen sortiti sunt: fuerunt autem nouem lyrici poetæ, quorum nomina in epigrammatibus Græcis descripta epigrammate reperies, Pindarus, Simonides, Stesichorus, Ibycus, Alcaman, Bacchilides, Anacreon, Alcæus, Sapho. uide etiam interpretem Pindari. Horatius igitur præclare in odis, libro primo, sic argumentum petit,

Quem uirum? aut Heroa lyra, uel acri

Tibia sumis celebrare Clio?

Quem Deum? cuius recinet iocosa

Nomen imago?

Quo loco Pindarum aperte imitatus est, qui ode secunda Olympiorum sic inquit.

αἰαξιφόρμιθός ὕμνοι

πινὰ θεόν, πινὰ ἥροα,

πινὰ δ' αἰσπρα κελαδὴβρεν;

Hic in poetice Horatius per pueros Deorum Heroes intellexit. pueros autem, idest filios interpretare. & sic Horatius doctissime. Nam Heroes filij sunt Deorum, ut refert Socrates in Cratylo Platonis, his uerbis. πάντες δὲ πού γε θύνασιν ὀραδέντες ἢ θεὸς θυητῆς, ἢ θυητοὶ θεῶς. frustra igitur quidam in Horatium argutantur, & deblatterant, prætermissos ab eo fuisse Heroas inepte asserentes. ET PUGILEM VICTOREM, ET EQUVM CERTAMINE PRIMVM. Castorem, & Pollucem. Horatius ipse in odis,

Dicam & Alcidem, puerosq; Ledæ,

Hunc equis, illum superare pugnis

Nobilem. de iisdem Homerus.

καῖσπρα θ' ἰππόδαμῳ, καὶ πῦξ ἀγαθὸν πλυδούκεα.

Hos ubique fere coniunctos inuenies, commune etiam Romæ templum habebant, templum autem Castoris tantum nomine appellabatur, unde Bibulus, qui alter Cos. cum C. Cæsare fuerat, & Cæsari nullis in rebus resistere potuerat, ut plane inanis Cos. uisus sit Cæsare omnia ad arbitrium administrante, similis Polluci dicebatur, cui à fratre Castore pars gloriæ, & communis templi præcepta uidebatur. Suetonius in Cæsare. PUGILEM igitur, idest pugnis, et manibus acrem, et, ut Homerus plane ait, πῦξ ἀγαθὸν. pugnis bonum. nam in pentathlo, seu quinquercione, qui ex quinque certaminibus constabat, pugnis etiam dimicabant. libro primo Græcorum epigrammatum Antipater Nicophontem pugilem celebravit.

αἰσπρα

αἰδραὸς ἠνίκαι
 πυγμὴν εἰναι νικῶ φωνὸν Ὀλυμπία. Cum homines pugil uincebat Ni-
 cophon in Olympiis. CERTAMINE PRIMVM. Castor enim in equestri præ-
 lio habitus est acerrimus. sed alludit Horatius ad religionem Romanorum, qui sæpe pu-
 tarunt incredibili celeritate se à Castore certiores factos de suorum uictoria, ut bello
 Cimbrico euenit, quo die Marius in Caudio Venetiæ campo Cimbrorum acies strauit,
 Romani accepto uictoriæ nuncio exultarunt, nota deinde incredibilis celeritas Castorem,
 & Pollucem indicauit. Florus libro tertio ubi bellum Cimbricum, & Theutonicum, ac
 Tigurinum describit. possumus etiam uersum hunc, & pugilem uictorem, & equum
 certamine primum, non ad Castorem, & Pollucem referre, sed ad eos, qui in certami-
 nibus illis Græciæ Olympiis, Pythiis, Nemeis, Isthmiis, quæ Pindarus descripsit, &
 de quibus legere est libro primo epigrammatum Græcorum, initio, uictores euade-
 bant. de his etiam multa Vitruuius libro IX. Lyrici enim horum uictorias decanta-
 bant, ut Pindarum fecisse uidemus, & fecisse Simonidem Lyricum & ipsum poetam
 constat. nam eius carmen retulit Aristoteles libro tertio Rhetoricorum, cum eius nomen
 extolleret, qui mularum in cursu uicerat, χαίρειτε ἀελοπόδων θυγατέρας ἵππων.
 saluete uelocium filia equorum: erat enim πένταθλος, idest quinquercio, ut ait Pau-
 sanias libro primo in Aeliacis, & constabat lucta, pugillatu, cursu, saltu, pan-
 cratio. IUVENVM CVRAS. Iuuenum amores. Virgilius. at regina graui
 iam dudum saucia cura vulnus alit uenis. LIBERA VINA. conuiuia, in quibus
 ebrii, uel hilares arcana confitentur. Pindarus in Nemeis, in ode, quæ de Cromio
 Aetnæo scripta est,

θαρσαλία δὲ πρῶτα
 κρητῆρα φωνὰ γίνεται. Audax apud poculum uox fit. Athenæus
 libro primo scribit positum à ueteribus tripodem in templo Bacchi fuisse, καὶ τὸ νικητή-
 ερον εἰ διονύσου Ἴπποισι. καὶ γὰρ ἐν Ἴπποδος λέγειν φάμεν εἶς ἀληθῆ ὄντας. etenim
 ex tripode loqui dicimus, qui uera dicunt. Horatius in epistolis, quid non ebrietas desi-
 gnat? operta recludit, etc. quem locum de ebrietate ex Aristophanis equitibus expres-
 sum ab Horatio eleganter inuenies, si duos illos poetas conferes. Lyrici autem de uino,
 et de ebrietate libenter uerba faciunt, ut Horatium fecisse uidemus, præsertim in odis:
 & ut Franciscus Robortellus, uir doctissimus, in suis annotationibus diligenter obser-
 uauit, qui collatis etiam Lyricorum poetarum Græcorum multis fragmentis cum Ho-
 ratio hoc demonstrauit. Alcæus quidem apud Athenæum sic inquit. πίνωμεν τὴν λύχνον
 σφαινωμεν; δάκτυλος ἄμδρα. bibamus, quid lychnum extinguimus? dies non lon-
 gior digito est.

XI.

Descriptas seruare uices, operumq; colores.
 Cur ego, si nequeo, ignoroq; poeta salutor?
 Cur nescire pudens praue, quàm discere malo?

F

IN POETICEN HORATII

Inuehitur in eos, qui cum supradicta poetices genera suis rebus accommodare nescirent, tamen poetæ nomen sibi uendicabant, & se ipsum increpat eorum personam induens. nam per se ipsum illos intelligit. sic Nestorem facere solitum, cum Græcos reprehendebat, obseruauit Plutarchus: minus enim ægre ferimus reprehensiones, cum, qui nos reprehendit, partem culpæ ultro sustinet. **DESCRIPTAS VICES.** ut alias res epico argumentum, alias elego, alias iambo, alias lyrico subiiciamus, quod ipse perspicue in comœdia, & tragoedia statim probat, cum non eundem utriusque stylum esse contendit. **OPERVMQVE COLORES.** poematum uarietates. ut enim res pictæ coloribus distinguuntur: nam alios colores pratum, ager uel arboribus consitus, si depingatur, alios urbs, uel domus, alios aliæ res poscunt: sic alios colores heroicum carmen, idest aliam speciem, alios lyricum postulat. & sic de singulis. color igitur hic sumetur pro cuiusque poematis propria specie, & congruente forma. quo modo ab oratoribus color usurpetur, Quintilianus docet libro quarto. nam ubi de Narratione scribit, hæc habet uerba. Sunt quædam & falsæ expositiones, quarum in foro duplex genus est, alterum quod instrumentis adiuuatur, ut P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romæ commiserat, Iteramnæ se fuisse dicebat: alterum quod est intuendum dicentis ingenio, id interim ad solam uerecundiam pertinet, unde etiam mihi uidetur dici color. eadem igitur ratione, oratores & poetæ colorem usurpant, sic iurisperiti etiam. nam Marcellus libro quinto Digestorum, titulo de inofficioso testamento, lege quinta, sic ait: Huius autem uerbi de inofficioso uis illa, ut dixi, est, docere immerentem se, & ideo indigne præteritum, uel etiam exheredatione summotum, resq; illo colore defenditur apud iudicem. ut uideatur ille non quasi sanæ mentis fuisse, cum testamentum inique ordinaret. **POETA SALUTOR.** cum ignorem poeticem, poetæ mihi nomen ascisco. Lucianus in libro de conscribenda historia uitium hoc in Abderitanis notauit, qui ex febre omnes repente sunt poetæ facti, ita morbus quidam arrogantia omnium mentes inuaserat, ἅπαντες γὰρ ἐς τραυδίαν πνευνοῦντο, καὶ ἰαμβεῖα ἐφθέγγοντο. uide, quæ diximus in Parergis libro tertio cap. trigesimo quarto. **CUR NESCIRE PVDENS.** cur propter pudorem testandæ ignorantia, et ab alio discendi, ignorare poeticem, quàm addiscere gratius est? quidam in prouectiore ætate discere præ pudore nolunt. nam apud Plutarchum in libro de salutaribus præceptis Tyberium Cæsarem dicere solitum legimus, ὡς αἰὲρ ἕως ἡλικίας ἡγενοῦς ἔτι, καὶ πεντήκοντα ἰατρῶν χεῖρα καὶ ἀγάλματος ἔστιν. uirum iam sexagenarium medico manum porrigentem, irridendum esse. melius Plato, qui in Alcibiade prior Periclem eloquentissimum, & sapientissimum uirum, qui cum dicebat, coruscare & fulgura mittere, ut ait Cicero, uidebatur, in robustiore ætate ad Damonem discendi causa ire solitum testatur, καὶ νῦν τῆλικούτου ὄν, δάμωνι ξύεστιν αὐτοῦ τούτου εὐεχθῆ. & nunc tantus cum sit, huius rei gratia Damonem conuenit. non absimili ratione Demosthenes in oratione de falsa legatione Aeschinem exagitat, ἀλλ' ἀδοξεῖν, κρίνεσθαι, πάσχειν ὅπουν αἰρεῖται πρὸ ὑμῶν μᾶλλον, ἢ ὀλίπω τι ποιῆσαι μὴ

πρὸς ἠδονῶν. sed male audire, in iudicium uocari, quidlibet pati mauult apud uos, quàm aliquid ad arbitrium Philippi non facere. PVDENS PRAVE. duo illa uerba coniungenda sunt, quidam enim ingenuus pudor est, quidam turpis, ut eorum qui discere erubescunt. lege librum Plutarchi πρὸς δὲ δυσωπίαν, idest de pudore uitioso. in quo multa nancisceris, quæ ad hunc locum pertinent.

XII.

Verfibus exponi tragicis res comica non uult,
Indignatur item priuatis, ac prope focco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.

In quo differant, ac discrepent inter se duo hæc nobilissima poemata, tragœdia, & comœdia, his uersibus planum facit Horatius. comœdia inquit, quæ pertenuis est, & humili focco incedit, non grandi cothurno, tragicos uersus amplos, & sonoros non flagitat, sed suo stylo exponi mauult; Item tragœdia, quæ uehemens, et horribilis est, comica carmina, ut tenuia, & maiestati suæ non conuenientia respuit. nam tragicum, & grande carmen exposcit M. Tullius in libro de optimo genere oratorum. itaque & in tragœdia, inquit, comicum uitiosum est, & in comœdia tragicum turpe, & in cæteris est suus cuiusque certus sonus, & quædam intelligentibus nota uox. Aristoteles autem clarius & expressius in poetice demonstrauit, quibus in rebus inter se comœdia, & tragœdia dissentiant, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ διαφορᾷ καὶ ἡ τραγωδία, πρὸς τὴν κωμωδίαν διέστηκεν, ἢ μὲν γὰρ χεῖρους, ἢ δὲ βελτίους μυθεῖσθαι βούλεται τῷ νῦν. qua dissimilitudine tragœdia, & comœdia est: hæc enim, idest comœdia humiliores, illa uero præstantiores ijs, qui nostro sæculo uiuunt, homines imitari uult. qua ratione Hermogenes libro primo de Idæis oratorijs uehementiam orationis, idest σφοδρότητα ab asperitate distinxit, ἢ μὲν τραχύτης inquit καὶ μείζονων προσώπων, καὶ αὐτῶν δὲ τῶν διαστῶν ἢ ἐκκλησιαστῶν γίνεται, ἢ δὲ σφοδρότης καὶ ἐλαττόνων, etc. asperitas contra præstantiores personas, ipsos iudices, uel senatores fit, uehementia autem contra humiliores. NON VULT. idest non debet, more Græcorum, ex quibus Horatius sæpe orationis figuras sumit. Aristoteles libro secundo Physicorum ubi de fine agit. βούλεται γὰρ ὅτι πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. debet enim non omne extremum esse finis, sed quod optimum est, ibi Aristoteles poetam reprehendit, qui mortem hominis finem esse dixerat, unde addidit ipse, quid finis censeridebeat. uerba hic descripta Aristotelis non intelligens Diuus Thomas, doctissimus latinorum interpres, ad poetam, quem Aristoteles arguit, detorquet indocte, & imperite, sic enim inquit: uult enim poeta, quod non omne ultimum sit finis, sed illud, quod est ultimum, & optimum, hoc est, cuius causa fit. βούλεται apud Aristotelem ὅτι Thomas id significat, quod debet, siue oportet. sic Græci omnes loquuntur, sic ipse alibi Aristoteles libro tertio de moribus ad Nicomachum, τὸ δὲ ἀκέραιον βούλεται λέγει

δοε, οὐκ εἰ πῖς ἀγνοεῖ τὸ συμφέρον. quòd inuitum dicimus, debet appellari, non si quis ignoret, quod conducibile sit. in Parergis libro tertio cap. quarto, ubi locum illum in physicis Aristotelis declaramus, plura in medium ex græcis attulimus. redeamus ad Horatium, qui docet decorum in re, & uerbis esse seruandum, ut delectum rerum, & uerborum habeamus, quæ comœdiæ, quæ tragœdiæ tribuantur: nam decorum in eo qui dicit, in eo qui audit, et in re ipsa spectari, scribit in Lysia Dionysius Halicarnassens. πρὸς τὸν λέγοντα, καὶ πρὸς τοὺς ἀκούοντάς, καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα, καὶ τοῖς ἄλλοις, καὶ πρὸς τὴν πρὸς τὸ πρᾶγμα ἀρκούντος ἡρμηνεύειν. ad dicentem, ad audientes, & ad rem: in his enim decorum plene effinxit oratio Lysiae. INDIGNATUR. non dignatur: tragœdia enim præstantior comœdiæ uerba, ut Sicyonios calceos olim Socrates, idest Lysiae orationem, negligit. Virgilius. Et pontem indignatus Araxes. quem nos imitantes in Eridano, quem scripsimus ad Illustrissimum Aloysium Cornelium Cardinalem, sic inquit: Et rapidis pontem frustra indignatus in undis Dannubius. est enim similitudo à superbo homine sumpta, qui supplicem, uel humilem aliquem à se reiecit, cuius amicitiam fugit cane peius, & angue. PRIVATIS. familiaribus, & humilibus, quales esse homines priuati solent, qui magistratum non gerant, nec personam Reip. sustineant. magistratus enim res quaedam diuina uidetur, cuius conspectum uitamus aliquando, ut numinis. Paulus iuriconsultus libro nono Digestorum, titulo, si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, lege secunda, si quis aliquem euitans magistratum forte, in tabernam proximam se immisisset, ibique à cane feroce læsus esset, etc. talis tragœdia est. at comœdia priuato homini similis est. COENA THYESTÆ. inscriptio tragœdiæ cuiusdam, sed pro omni tragœdia ponitur. Atreus, & Thyestes Pelopis filij fuerunt, Thyestes fuit ab Atreo pulsus, qui etiam ipsi filios comedendos exhibuit, unde in odis Horatius. Et sæuam Pelopis domum. Chæremon Thyestem tragœdiam scripsit, ut est auctor Athenæus libro XIII. τῆς δευτεροσποῦτων. Thyestem Aristoteles in poetice inter familias tragicas collocauit, quas ibi recenset, νῦν ἡ πόδι ὀλίγας οἰκίας αἰ καὶ μισοῦ τραγῳδίας σωπίθενται, οἷς πόδι ἀλκμείωνα, καὶ οἰδίπου, καὶ ὀρέσην, καὶ μελέαρον, καὶ θυέσην, καὶ τίλεφον. nunc circa paucas familias pulcherrimæ tragœdiæ compositæ uersantur, ut circa Alcæonem, & Oedipum, & Orestem, et Meleagrum, et Thyestem, et Telephum. LOCVM TENEANT. quæ sunt comica, in comœdia ponantur: quæ tragica, in tragœdia constituuntur. tractum à re militari, ubi locum deserere turpe, et periculosum erat. Liuius libro II. de Ap. Claudio inuectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinæ, desertorem signorum. & quæ sequuntur. Halicarnassens libro nono exprimens illud, desertorem signorum, ὅσοι τὰ σημεῖα ἀφωλέκασιν.

XIII.

Interdum tamen & uocem comœdia tollit,
 Iratusq; Chremes tumido delitigat ore,
 Et tragicus plerunque dolet sermone pedestri.

Comœdiam humilem, & tenuem, tragœdiam grandem, & amplam in superiore contextu esse dixit Horatius. hic fatetur hunc aliquando ordinem peruertere: comœdia enim aliquando grandis, tragœdia tenuis est. & tamen comœdiam tenuem esse, & plane familiarem, etiam Cicero in oratore confitetur his uerbis. itaque uideo uisum esse nonnullis, Platonis, & Democriti locutionem, etsi absit à uersu, tamen, quòd incitatus feratur, & clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poema putandum, quàm comicorum poetarum, apud quos nisi quòd uersiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. INTERDUM. quia interdum tantum grandis comœdia est, plerunque, ac fere semper humilis, iccirco digna est potius, ut humilis, quàm alta, & sublimis uocitetur. nam nomen ab ea parte rei deriuatur, quæ uerior est. in eodem oratore Cicero sic inquit. sed iam illius perfecti oratoris, & summæ eloquentiæ species exprimenda est, quem hoc uno excellere, idest oratione, cætera in eo latere, indicat nomen ipsum. non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia, sed & græce ab eloquendo rhetor, & latine eloquens dictus est: cæterarum enim rerum, quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque uendicat, dicendi autem, idest eloquendi maxima uis soli huic conceditur. Aristoteles libro secundo meteorologicorum, ubi uentos ait gigni è sicco halitu terræ .i. καπνοῦ, sic ait: ὅτι δ' οὐτε τὸ ὑγρὸν αὐτὸ τῆς ξηρῆς, οὐτε τὸ ξηρὸν αὐτὸ τῆς ὑγροῦ, ἀλλὰ πάντα ταῦτα λέγεται καὶ τὸ πῦρ καὶ τὸ ἀέρας. est autem neque humidum sine sicco, nec siccum sine humido, sed hæc omnia à parte excellentiore nomen sumunt. TOLLIT. tollit autem uocem, quia res acerba occurrit, & tragica, quare exclamandum est. sic oratores exclamant. Aeschines apud Plutarchum μεγαλοφωνότερος dicitur. comœdia uariat uocem: ubi res humilis est, & acclamatione non digna, ipsa quoque humilis: ubi res indigna, ipsa quoque indignius queritur. hoc faciendum ab oratore præcipit Cicero in oratore ad M. Brutum his uerbis. ac uocis quidem bonitas optanda est: non est enim in nobis, sed tractatio, atque usus in nobis. ergo ille princeps uariabit, & mutabit, omnes sonorum tum intendens, tum remittens persequetur gradus: uocis autem tres soni sunt, quibus uarie, cum res poscet, tragœdia utetur. de his Cicero in oratore sic mira est enim quædam natura uocis, cuius quidem è tribus omnino sonis inflexo, acuto, graui, tanta sit, et tam suaui uarietas perfecta in cantibus. comœdia autem tollit uocem, cum aliquid indignum describitur, & infandum: uox enim grauior tum rem, tum ingenium non liberale testatur. Theophrastus in libro, quo naturas diuersorum hominum describit, cum imaginem agrestis ingenij effingeret, quam ἀροικίαν appellat, his uerbis utitur, καὶ μεγάλη τῆς φωνῆς λαλῆν. IRATVS QVE CHREMES. ut apud Terentium in Andria Simo ait, uenit mane clamitans ad me Chremes etc. cum scilicet ille comperit Pamphilum peregrinæ amore teneri. TUMIDO ORE. tragicis uerbis: in tragœdia enim uerba sunt tumida, ut ampullæ. paulo post Horatius. Projicit ampullas, & sesquipedalia uerba. præterea qui indignantur, pleni ira dicuntur. si igitur pleni, necesse est, ut tumidi sint. Aristoteles libro tertio Rhe-

IN POETICEN HORATII

toricorum Alcidamantis illud refert, de irato. μέγας μὲν πῶς θυγὴν πληροῦ μὲν ὄλω, πειχῶν δὲ πῶς ὄψιν γινομένην. animam ira plenam, uultum igneo colore suffu- sum. DOLET SERMONE PEDESTRI. dolet, inquit Horatius, quia in tragœdia semper dolor exprimitur, in qua duo hæc sunt præstanda, ut ait in poetice Aristoteles, τὸ φοβερὸν, καὶ τὸ ἐλεεινὸν, horrible, et miserabile, sermone autem pe- destri, idest humili dictione: qui enim pedibus incedunt, humiles sunt, qui equo ue- huntur, alti, & acres. quod uidetur expressisse Lucanus, ut celsus medio conspectus in agmine Cæsar. & Virgilius, Astur equo fidens, & uersicoloribus armis. in tra- goedia reperies aliquando lenitatem, & uerba quædam dolentium mitius, & sum- missius, ut in Electra Sophoclis, ubi Electra post ingentes gemitus, & dolores sic in- quit placidius.

αἰχίνο μοι μὲν ὦ γυναῖκες, εἰ δὲ κῶ

πο μοῖσι θρωοῖς δυσφορεῖν ὑμῶν ἄραν.

ἀλλὰ ἢ βία γὰρ τῶντα αἰατῶσαι με δεῖν,

σύγνωτε.

Pudet me o mulieres, si uideor multis querelis nimium uobis discrucari. uis me doloris hæc facere inuitam cogit. Ignoscite. hic Electra dolet, & sermone utitur pedestri.

XIIII.

Telephus, & Peleus cum pauper, & exul uterque
Proiicit ampullas, & sesquipedalia uerba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela,
Non satis est, pulchra esse poemata, dulcia sunt,
Et quocunque uolent, animum auditoris agunt,
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani uultus. si uis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Quo modo tragœdia se submittat, & comœdiæ similis fiat, nunc Horatius osten- dere instituit, poetas quosdam tragicos sui temporis reprehendens, ut Euripidem qui, Te- lephum, & Peleum inopes, & egentissimos loqui inflatus, & superbius faciunt, & quidem eo tempore, cum propter inopiam, & calamitatem aliorum opem implorare, & miseratione homines allicere uolunt. hoc prudenter non fit, inquit Horatius. tunc enim Thelephus, & Peleus fastum deponere, & blandis, miserabilibusq; uerbis uti debent. & sic tragœdia se submittet. hæc respiciens M. Tullius in oratore ad Brutum sic ait. An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur? crebroq; mutarent? nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent? ipse nunquam ab illa acerrima contentio- ne discederem? TELEPHVS, ET PELEVS. Telephus fuit rex Mysorum, qui aliquando ad inopiam redactus dicitur, quare tragœdiæ argumentum præbuit: Tele-

phum autem tragœdiam scripsit Agathon, ut testatur Athenæus libro decimo, nemo non audiuit hunc Telephum Achillis hasta uulneratum, ab eadem fuisse sanatum, unde libro sexto Græcorum epigrammatum pulcherrimi hi uersus leguntur, quos quidam ad amicam scripsit, quam amabat perditissime.

τῆλεφος εἶμ' ἐγὼ. σὺ δὲ γίνεο πιστὸς ἄχιλλεος.

Κάλλει σὺ παῖδ' ὄντων τὸν πότον, ὡς ἔβαλλες.

Telephus ego sum o puella. tu uero fias fidelis Achilles. pulchritudine tua desiderium meum exple, ut illud iniecisti. Peleus pater Achillis Phocum fratrem necauit, eietus a patre exulauit. hunc non ponit Aristoteles in familijs tragicis, sed tamen addit, καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι, ἃ quibuscunque alijs accidit uel grauiam perpeti, uel efficere. Telephus perpeffus est, Peleus effecit. Peleus Aeaci filius Phthijs imperauit. Plato in Theage, τὴ δὲ δὴ πηλὸς ὁ αἰακὸς αὐτὸς φησὶ. etc. PROIICIT AMPULLAS. ampullæ uitrea uasa sunt, quæ, ut Muræni nos sæpe uidimus, cum fiunt, uitrum tumescit, ἃ artifices os uehementer inflant, ut spiritu materiæ uitreæ formam ampullæ reddant. quia igitur ampullæ, ἃ artifices illi tumidi sunt, Horatius tragica, ἃ inflata uerba ampullas uocat. nam etiam in epistolis libro primo scribens ad Iulium Florum hac similitudine usus est, de Tityo loquens. An tragica desæuit? ἃ ampullatur in arte? quanquam non inficias ierim, Horatium hic per ampullas posse innuere cucurbitulas illas, quibus sanguis mittitur: sunt enim eæ quoque tumidæ, ἃ tum ex ære, tum e uitro fiunt. æreas magis laudat Paulus libro sexto his uerbis. ἀλλὰ ὀλιμωτόταται μάλλον εἰσὶν αἱ χαλκαῖ, πλείονος ἀνεχόμεναι φλογός, ἢ τῶν ὑαλίνων ἐπιμῶς καὶ ἀρηγυμλίων. aptiores ad attrahendum sunt æreæ, plus flammæ sustinentes, quàm fragiles uitreæ. SESQUIPEDALIA VERBA. longa, ut uideantur esse sesquipedalia, ut illud Aristophanis in nubibus, νεφέλαι βροντῆσι κέρανοι. altera dictio tonitrum, ἃ fulmen comprehendit. Flamminius, ἃ uiuent sæclis innumerabilibus. SI CURAT COR SPECTANTIS. etc. ἃ hoc quidem inquit facit Telephus, ἃ Peleus si curat cor spectantis tetigisse querela, idest, cum uult miserationem ob aduersam fortunam suam captare. quæ tamen sic non captari solet a prudentibus. inepti igitur poetæ erant, qui sic Telephum, ἃ Peleum inducebant. dicit autem querela, quia in tragœdia ubique querimoniam sunt propter τὸ φοβερὸν, καὶ τὸ ἐλεεινὸν, quæ inesse tragœdijs debent. nam in Aiace Sophoclis est τὸ φοβερὸν, idest horribile, cum amens exprimitur Ajax: quis enim non exhorreat? cum Deos uidemus amentia nos plerere solitos, nisi officium coluerimus? in Philoctete uero est τὸ ἐλεεινὸν a Sophocle expressum, idest miserabile. de quo hic Horatius, tum alijs in locis, ubi Philoctetes loquitur, tum uero maxime, ubi miser exit ad herbam colligendam, qua pedi tabido medicinam faciat. certe Sophocles Philoctetem ipsum loquentem miserabiliter facit, non superbe, cum ille præsentem fortunam suam incommodam ante oculos haberet, non ueterem illam omnibus bonis circumfluentem, quæ tum abierat, Philoctetes Neoptole-

IN POETICEN HORATII

mum, qui in Lemnum insulam uenerat, ubi Philoctetes in solitudine multos annos diuiter uitam egerat, sic alloquitur, orans ut se auerbat.

πρὸς νῦν σε πατρός, πρὸς τε μητρός ὡ τέκνον
πρὸς τ' εἰπι σοι κατ' οἶκον ἔστι περ σφιλὲς,
ἰκέτης ἰκνοῦμαι. Ἐ quæ sequuntur.

Te per parentes fili, & per eos omnes, qui tibi domi cordi sunt maxime, supplex oro. **DULCIA SVNT O.** non satis est, inquit, tragœdiam esse pulchram, idest ampullis, & magnificis uerbis redundantem: sit dulcis, idest miserabilis, & dulci oratione animum audientium alliciens. M. Tullius in oratore ad Brutum: Dulce igitur orationis genus, & solutum, & effluens, sententijs argutum. &c. quibus uerbis et ipse, à saporibus similitudine ducta, dulcem orationem appellauit. sic Virgilius de Dido: Dulces exuuiæ, dum fata, deusq; sinebant, &c. quorum uersuum dulcedine correptus Augustus iterari eos sibi à recitante iussit, quia miseratione ducebatur, quæ dulce quiddam uidetur continere. **ET QUOCUNQUE VOLENT.** agat, inquit, tragœdia animum auditoris, quocunque uolet ipsa: tunc eam ego præclare scriptam putabo. tria requiri uidentur in poeta, quæ requiruntur in oratore: Cicero enim in libro de claris oratoribus sic ait, ubi de M. Calidio loquitur. sed cum à nobis paulo ante dictum sit, tria uideri esse, quæ orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moueret, duo summe tenuit, ut & rem illustraret differendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret uoluptate: aberat tertia illa laus, qua permoueret, atque incitaret animos. Horatius tertiam illam partem in poeta requirit, quam in oratore Cicero: sine hac enim duæ illæ, docere, & delectare, quas intelligebat Horatius cum dicebat, non satis est pulchra esse poemata, plane inanes uidebuntur. nam libro primo de oratore Crassus, quis nescit, inquit, maximam uim existere oratoris in hominum mentibus uel ad iram, aut ad odium, aut ad dolorem incitandis, uel ab iisdem hisce perturbationibus ad lenitatem misericordiamq; reuocandis? Cicero, & alij duplicem animi perturbationem, siue affectum ponunt, alterum leniorem, qui miserationem, & beneuolentiam allicit; alterum acriorem, qui ad iram, & odium impellit. prior ἡδὸς dicitur à Græcis, posterior πᾶθος. libro secundo de oratore, non enim, inquit Cicero, semper fortis oratio queritur, sed sæpe placida, summissa, lenis, quæ maxime commendat reos. & post. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes iudicum permouet, impellitq; , ut aut oderint, aut diligant, aut inuideant, aut saluum uelint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut lætentur, aut moereant, aut misereantur, aut punire uelint, aut ad eos motus adducantur, si qui finitimi sunt, et propinqui his, ac talibus animi perturbationibus. Horatius hic intelligit placidiorem animi perturbationem, non illam uehementiorem. Laertius in uita Zenonis. Ἐλεον μὲν οὖν εἶναι λυπην, ὡς ἔστι ἀναξίως καὶ παθοῦναι. miserationem esse dolorem, cum indigne aliquis multis malis afficitur. hoc plane ipsum Horatius innuit. de perturbationibus hisce animi lege Quintilianum libro sexto, cap. tertio.

tertio, Aristotelem libro secundo rhetoricorum, Ciceronem præterea libro quarto quaestionum Thufculanarum, & Melanethonium ipsum libro primo rhetoricorum, cap. uigefimotertio. **VT RIDENTIBVS ARRIDENT.** Telephus, & Peleus si captare miserationem uolunt, miseros se non arrogantes, & superbos ostendant. nam homines si quem ridentem uident, arrident, si flentem, simul flent. quare tu fleas primum necesse est, qui miseratione dignus uideri optas, ut alij tecum postea commoueantur. in hac parte Cicero excellebat, quare ei peroratio libenter ab alijs oratoribus, qui eandem causam tuebantur, relinquebatur. ipse de se in oratore ad M. Brutum sic ait. quid de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quòd etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. **DOLENDVM EST PRIMVM IPSI TIBI.** Polus histrio, Electram Sophoclis agens, Orestis ossa non tulit, sed filij, quem modo amiserat, & serio luxit. cuius fletu miserabili facile omnes commoti doluerunt. Gellius libro septimo cap. V. Quintilianus libro sexto cap. tertio sic ait: summa enim, quantum ego quidem sentio, circa mouendos affectus in hoc posita est, ut moueamur ipsi. Cicero libro secundo de oratore, neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamq; deducatur, nisi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet iudici, in ipso oratore impressi esse, atque iniusti uidebuntur. Aristoteles in poetice sua ante Horatium præcepit, dolendum prius illi, qui mouere luctum, et miserationem ciere alijs uelit, his uerbis: ὅσα δὲ δὴ αὐτὸν καὶ τῆς χεῖμασι σὺ ἀπὸ γαζόμελιον. πῖθαι ὅτι τῆς αὐτῆς φησὶ ὡς οἱ ἐν τοῖς πάθει σὺν εἰσι, δι' ὃ καὶ χειμῶνι οὐ χειμῶζόμελιος, καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργαζόμενος ἀληθινότερα. hoc est quantum fieri potest, id fingendum, quod ex habitibus naturalibus comparatur: nam hi suapte natura persuadent maxime, qui in perturbationibus uersantur, quare perturbat perturbatus, iram ciet iratus uerissime. **TVA ME INFORTVNIA LAEDENT.** quibus aliorum infortunijs moueamur uehementius, docuit in sua poetice Aristoteles ipse summus poetarum magister. ait enim nos moueri, ὅταν γίνῃται πρὸς τὴν δόξαν. quum aliquid præter spem, atque opinionem contigit, καὶ ἀπὸ τῶν μαύτων, καὶ τύχης, & si quæ à casu, & fortuna eueniunt. ἀλλὰ ὡς πρὸς ἐπιτηδεις φαίνεται γεγονέαι, sed sponte accidisse uidentur. δι' αἰδρίασ' τῆς μίτυος ἐν ἀργεί ἀπέκτεινε τὸν αἴλιον τῆς θανάτου τῷ μίτυι θεωροῦντι ἐμπεσόν. ut statua Mityi Argis eum lapsa interfecit, qui eam spectabat, & mortis Mityi auctor extiterat. Nihil unquam fuit Philoctete Sophoclis miserabilius, qui cum sibi à Neoptolemo arcum, quo sibi uictum cæsis uolucris, & feris in uasta illa Lemni solitudine parabat, raptum uidisset, feras uocat, quibus discerpatur, quæ tamen nisi ex animo, fudisset, multis cum lachrymis, multisq; singultibus, neminem commouisset. Ion apud Platonem in libro sui nominis, cum dixisset se Homeri carmina recitantem moestissime, si moesta sint, hæc addit de auditoribus. καὶ γὰρ ὅτι ἐκείνοι οὐκ αὐτῶς ἀνωθεν ἀπὸ τῆς ἐμῆς κλαίουσας τε, καὶ δεινὸν ἐμβλίπντας, καὶ

συνδραμβούντας τῆς λεγομένης . uideo enim undique illos de loco superiore e' suggestu flentes , & moeste se inuicem aspicientes , & ob ea , quæ dicta sunt , simul obstupentes .

XV.

Telephe, uel Peleu male si mandata loqueris,
 Aut dormitabo, aut ridebo. tristia moestum
 Vultum uerba decent, iratum plena minarum,
 Ludentem lasciuia, seuerum seria dictu,
 Format enim natura prius nos intus ad omnem
 Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram,
 Aut ad humum moerore graui deducit, & angit,
 Post effert animi motus interprete lingua.
 Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
 Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.

Actionem respondere orationi debere, etiam atque etiam hic poeta monet. nam si alia dicet, alia uultu actor testabitur, uerbi gratia si uultu hilari moestam orationem, aut moesto hilarem representabit, exhibebitur: ideo enim Aesopus tragædus, & Roscius comædus perillustres olim extiterunt, quia uultu orationem imitabantur, qui ad audiendum Hortensium accurrebant, quotiescunque dicturum illum rumor percrebuerat, ut foro petitos gestus in scenam referrent. nam Hortensius plus studij in corporis decoro motu, quam in ipsa eloquentia ponebat. Valerius Maximus. & quia in gestibus erat accuratior, uulgo illum saltatriculam uocitabant. Gellius libro primo. in omni actione tria sunt, uox, gestus, uultus. Cicero in oratore ad Brutum sic. est autem actio quasi corporis quædam eloquentia, cum constet e' uoce atque motu. & post, dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est uultus. etc. hic Horatius in uultu maxime actionem probat tragicam, & in gestu, quando teste Cicerone gestus, & uultus iuncti sunt. in gestu autem posita sunt fere omnia. Demetrius Cynicus Neronis tempestate mimum cum uidisset Martis, & Veneris adulterium saltantem, δὲ κείνῳ inquit τῶν χερσὶν ὡτῶν λαλεῖν. uideris ipsis manibus loqui. iure igitur optimo Horatius de actione sibi reticendum minime existimauit, quæ maximi ponderis apud omnes est. unde Cicero in Oratore ad Brutum sic inquit. nam et infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt, & disertis deformitate agendi multi infantes putati sunt: ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit & primas, & secundas, et tertias actioni. hæc ille. TELEPHE, VEL PELEU. non alloquitur Telephum, uel Peleum, sed eum qui in scena hos representabat, unde addit mandata, si male inquit mandata loqueris, si male actione rem tibi mandatam exprimes. mandata hic fere id significant, quod apud eundem Horatium alibi partes secundæ. poeta mandat, actor mandata loquitur. in epistola ad Lollium libro primo.

Vt puerum saeuo credas dictata magistro

Reddere, uel partes mimum tractare secundas.

Aristoteles libro tertio Rhetoricorum Theodorum admirari uidetur optime mandata loquentem, οἷ ἡ Θεοδώρου φωνὴ πείπονθε πρὸς τὴν τῆς ἄλλων ἁποκριτῆς, ἢ μὲν γὰρ τῆ λέγοντος ἔοικεν εἶναι, αἰ δὲ ἄλλότῃαι, qualis erat uox Theodori, si cum uoce aliorum hypocritarum conferatur: hæc enim dicentis esse uidebatur, aliorum uoces, alienæ. DORMITABO, AUT RIDEBO. sic Cicero in libro de claris oratoribus, ubi de M. Calidio. itaque tantum abfuit ut inflammares nostros animos, somnum isto loco uix tenebamus. non attente audientem sic describit Aristoteles libro decimo ad Nicomachum de moribus, οἷ ἐν θεάτρῳ οἱ τραγηματίζοντες, ὅταν φαῶλοι οἱ ἀγωνιζόμενοι ᾧσι, τότε μάλιστα αὐτὸ σβῶσιν. ut in theatris legumina edentes: cum enim inepti actores sunt, hæc præsertim faciunt. TRISTIA MOESTVM VULTVM VERBA DECENT. ut decorum in oratione appareat, sit pathetica. Aristoteles libro tertio Rhetoricorum, παθητικὴ δὲ, εἰ μὲν ἢ ὑβρῆς, ὀργισμένου λέξις. pathetica autem, si quidem contumelia erit, irati dictio sit. quod uertit Horatius, iratum plena minarum. quòd si quis tristem causam agit, & uultus non sit moestus, non commouebit. Cicero hoc pulcherrime demonstrauit in Bruto, ubi M. Calidium Q. Gallio dedisse crimini ait, quòd sibi uenenum parauisset, Cicero se pro Gallio sic respondisse Calidio inquit. Tu istuc M. Calidio nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere uoces, & querelas solet: nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis, quod minimum est, nulla supplexio. quibus uerbis demonstrat, M. Calidium nemini persuasisse, quòd non moesto uultu suam causam tam tristem egerat. uide etiam Valerium Maximum libro octauo cap. decimo, Quintilianum libro XI. cap. tertio, ubi hoc ipsum de M. Calidio referunt. FORTVNARVM HABITVM. per fortunarum habitum intellige animi perturbationes, quæ a fortuna uel lata, uel tristi exoriuntur. ueniunt, & recedunt. Virgilius libro sexto. Hinc metuunt, capiuntq; dolent, gaudentq; nec auras respiciunt. Horatius in epistolis.

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuat'ue, quid ad rem? Si igitur ueniunt, et recedunt, dispositiones sunt, non habitus, in quibus Aristoteles in prædicamentis, ubi agit de qualitate, ea constituit, quæ semper, aut diutius perdurant, ut in dispositionibus, quæ ueniunt, ac recedunt celeriter, nec respondeas habitum a dispositione contineri, ut docet Aristoteles, qua ratione libro secundo physicorum fortunam casui subiicit. nam contra fecit Horatius. dic in poetis hæc non esse diligentius excutienda. FORMAT ENIM. natura inquit nos primum intus format ad omnia, idest in animo primum perturbationes ciet, quas demum lingua significamus, quare sic loquamur, ut uideamur ex animo loqui. est locus desumptus è sophista Platonis, ubi hospes Theeteto probat, quia lingua aliquando mentitur, mendacium inesse etiam ani-

IN POETICEN HORATII

mo, propterea quia quæ eloquimur, antea animo conceperamus ubi: hospes hoc etiam profert, οὐκοῦν διαίολια μὲν καὶ λόγος ταυτὸν. igitur cogitatio, & oratio idem. INTVS. in animo, ibidem Plato. ὁ μὲν ἐν τῷ τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὴν διάλογος αὐτὸ φωνῆς γινόμενος, ὅστις αὐτὸ ἡμῶν ἐπινομάθη διαίολια. qui intus fit animæ cum se ipsa dialogus sine uoce, cogitatio à nobis appellatus est. Aristoteles libro primo Rhetoricorum, cum de triplici genere bonorum differeret, animi, corporis, fortunæ, bona fortunæ extra esse dicit, alia in ipso homine. τὰ τ' ἐν αὐτῷ, καὶ τὰ ἐκτὸς ἀγαθὰ. bona, quæ in ipso, & quæ extra sunt, & quæ sequuntur. I V = V A T. delectat, hoc uerbo bonas perturbationes complectitur. Cicero libro quarto quæstionum Tusculanarum secundum Stoicos loquens. partes autem perturbationum uolunt ex duobus opinatis bonis nasci, & ex duobus opinatis malis, ita esse quatuor, ex bonis libidinem, & lætitiā, ut sit lætitiā præsentium bonorum, libido futurorum. libidinem igitur, & lætitiā Horatius uerbo hoc innuit. A D H V = M V M. ueteres in graui mœrore, & angore humi se sternebant, puluere comas foedantes, & uultum. Catullus in Epithalamio Pelei. Canitiem terra, atque immundo puluere foedans. Homerus libro Σ. Iliadis, ubi Achilles audiuit ab Antilocho de morte Patrocli.

ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλών κόνιν αἰθαλόεσσαν
χόρυκα καὶ κεφαλῆς, ἔχεν δὲ ἤχυνε πρὸς ὤπην.

Utraque manu puluerem desumens in caput sparsit, & gratam faciem deturpauit. Virgilius etiam libro decimo de Mezentio,

Canitiem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.

ANIMI MOTVS. curas animi. quas motus nuncupat, quia, ut ait Aristoteles libro secundo physicorum, corpora naturalia sunt, quæ in se habent principium motus, & quietis. corpora autem naturalia sunt, animalia omnia, et ipsorum partes, & plantæ, & elementa. motus fit uel cum de loco ad locum mouemur, uel cum excrescimus, & decrescimus, atque etiam corrumpimur. nam Φθίσιν nominat Aristoteles, uel κατὰ ἀλλοίωσιν. idest, ut nostrates philosophi interpretantur, per alterationem. hic Horatius motum per alterationem innuit, qui fit cum alijs post alias curis distinemur. κατὰ ἀλλοίωσιν lege Aristotelem libro primo de generatione, & corruptione. INTERPRETE LINGVA. recte linguam interpretem animi appellauit. nam linguæ munus est, perspicue sensa animi eloqui: quod nisi faciet, suo munere non fungetur teste ipso Aristotele libro tertio rhetoricorum, καὶ ὡς εἶδω λέξεως ἀρετὴ σαφὴ εἶναι, σημεῖον γὰρ, ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἐκὼ τῆ δρῶν. uirtus dictionis diffiniatur, ut perspicua sit: cuius rei signum est, quod oratio, nisi perspicue animum interpretetur, suo munere non fungetur. A B = S O N A D I C T A. si oratio erit absona, idest abhorrens à fortunis dicentis, à statu, et conditione eius qui dicit, ut cum aliquis infelix hilari fronte loquitur: sumpta

similitudo à musicis imperitis, qui, cum alio tono personandum sit, alio personant. exempli gratia. Pythagoras ebrium iuuenem faces foribus amicæ admouentem spondæorum cantu repressit. si dactylis fuisset usus, eius dicta iure poterant absona uocari. TOLLENT CACHINNUM. non moderate ridebunt. sic Cicero in libro de fato. Zopyrus stupidum esse Socratem dixit, & bardum, quod iugula concaua non haberet. obstructas eas partes, & obturatas esse dicebat. addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. EQVITES, PEDITES QVE. Porphyrio sic, ordo equester, & plebeius. nos Romanos milites omnino interpretabimur: ciues enim Romani militabant, non serui: quod an innuat Porphyrio, non plane compertum habeo, ita est concisus, & obscurus. Pompeius difficillimo reip. tempore seruos armauit, ut scribit Cæsar libro primo de bello ciuili. sed id pro tempore euenit, in more positum non erat. Virgilius de milite spurio. uetitisq; ad Troiam accesserat armis. & Cæsar uehementer in Deiotarum indignatus fuit, cum comperit inter milites sibi à Deiotaro missos seruum esse, ut in oratione Ciceronis pro rege Deiotaro inuenies. Cicero pro Muræna clarissimis uerbis testatur, Romanos ciues militia reuersos Romæ in rep. uersari solitos. uoluntas militum, inquit, quæ cum per se ualet multitudine, tum apud suos gratia, tum uero in consule declarando multum etiam apud uniuersum populum Romanum auctoritatis habet suffragatio militaris. Hic igitur Horatius per equites, peditesq;, ciues Romanos intelligit, qui pugnare ipsi, & in castra solebant proficisci. quod Athenienses etiam faciebant, ut Demosthenes in oratione de falsa legatione docet, ubi de Aeschine loquitur, cuius uerba Athenienses audire noluerant, & crebris clamoribus interruperant, πολλοῦς ἐφ' ἑῶν ἰσορροπίας εἶναι, ὀλίγων δὲ ἑῶν στρατομελῶς, ὅταν δὲ. multos dixit obstrepentes esse, paucos autem ad bella euntes, cum opus sit.

XVI.

Intererit multum Dauus ne loquatur, an heros,
 Maturus ne senex, an adhuc florente iuuenta
 Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
 Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli,
 Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis,

Egit Horatius proxime de oratione pathetica, idest perturbationum plena, nunc moratam aggreditur, quæ rationem habet sexus, ætatis & gentis, & aliarum huiusmodi rerum. Cicero in oratore ad Brutum πρέπον, idest decorum uocat, ubi etiam sic inquit, huius ignoratione non modo in uita, sed sæpissime & in poematis, & in oratione peccatur: est autem, quid deceat, oratori uidendum, non in sententijs solum, sed etiam in uerbis: non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec uero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut uerborum genere tractandus est, aut sententiarum. quæ uerba Ciceronis idem omnino

IN POETICEN HORATII

continent, quod descripti Horatij uersus comprehendunt. Aristoteles libro tertio rhetoricorum de morata oratione sic. ὅτι ἀνελευθεῖ ἢ ἀρμόττουσα ἐκείτω γλῶσσι, καὶ ἔξει. λέτω δὲ γλῶσσι μὲν καθ' ἡλικίαν, οἷς παῖς, ἢ αἰὴρ, ἢ γέρον, καὶ γυνή, καὶ αἰὴρ. quæ mire expressit Horatius positis tamen nominibus alijs. uerba Aristotelis sic uerti possunt, quia sequitur conueniens unicuique generi, & habitui. dico autem genus secundum ætatem, ut puer, uir, senex, & mulier, & uir. Horatius. maturus ne senex, an adhuc florente iuuenta Feruidus. cum dixit Aristoteles ἔξει, innuit uarios habitus hominum. Horatius sic Dauus, an heros, an matrona potens, an sedula nutritrix, mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli. in morata oratione est etiam natio. Aristoteles, καὶ Λακων, καὶ Θεσσαλός. & Lacedæmonius, & Thessalus. Horatius sic. Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis. Dionysius in libro τῶν Λόγων Ἰβραυτὰ ἄσως sic inquit, ζητητέον ὅστι πῶ τῶρον ἔλλω ὁ λέτων, ἢ βαρβαρος καὶ θόλου, quærendum in uniuersum est, græcus ne sit qui loquitur, an barbarus. mox græcum, & barbarum in suos populos diuidit, & alia persequitur diligentius, quæ ad orationem moratam pertinent, quæ nos hic breuitatis gratia prætermittimus. DAVVS NE LOQUATUR, AN HEROS. in Parergis hunc locum declarauimus, hic etiam tamen monebimus, quosdam legere, herus ne, quosdam, an Irus. nam de Iro Homerus in odyssea, & Ouidius, immundæ cura fidelis haræ. ego non inani ratione adductus, sic legendum putarim, diuus ne loquatur, an heros. ut heros nobiles personas indicet tam in comœdia, quàm in tragœdia, diuus deos significet, qui in comœdia, & in tragœdia inducuntur, ut Mercurius in Amphitrione Plauti, plutus in pluto Aristophanis, Hercules in Philœtete Sophoclis. alioquin Horatius in numerandis personis defecisse uidebitur, diuinas præteriens. FERUIDVS. calidus: Iuuenes enim plus sanguinis habentes calidiores sunt, quàm senes, qui frigidi sunt, quia sanguis senibus torpet, et conglaciatur, ut Galenus est auctor. Virgilius.

Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

MATRONA POTENS. fortasse clarissimam foeminam indicat, senatoris uxorem. nam Vlpianus iurisconsultus, libro primo Digestorum, titulo de senatoribus lege octaua sic inquit, clarissimarum foeminarum nomine senatorum filia, nisi quæ uiros clarissimos sortita sunt, non habentur: foeminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt, parentes uero, donec plebeijs nuptijs fuerint copulatae. tam diu igitur clarissima foemina erit, quàm diu senatori nupta est, uel clarissimo; aut separata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupsit.

XVII.

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor. honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis,
 Sit Medæa ferox, inuictaq; , flebilis Ino,
 Perfidus Ixion, Io uaga, tristis Orestes.
 Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
 Personam formare nouam, seruetur ad imum
 Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Porphyrus hunc contextum sic inducit. Hoc aliud præceptum est: nam poeta scripturus, aut secundum hominum consensum debet aliquid describere, aut, si historiam tanquam tritam non uult attingere, debet conuenienter notam inducere. quibus uerbis Porphyrio poetæ institutum non demonstrat. hic enim Horatius duo esse poetarum argumenta scribit, alterum non nouam personam inducens, sed eam, quæ ab alijs etiam poetis celebrata est, ut Ajax Sophoclis est, in qua persona non licet temere multa comminisci, sed ea plane sunt commemoranda de eius moribus, atque ingenio, quæ apud ueteres poetas reperimus. Ajax semper habitus est furiosus, et terribilis, talis à Sophocle exprimitur. alterum poetarum argumentum est, cum noua persona inducitur, de qua nullum apud alios poetas impressum extet uestigium. tunc dare operam diligenter debemus, ut eam ubique sibi similem fingamus, ut primis extrema respondeant.

AUT FAMAM SEQUERE. sequi autem famam debemus, idest fabulas ab alijs receptas, etiam si temere fictæ uideantur: neque enim à primis poetis recedere licet. Aristoteles in poetice quædam in Homero probari testatur, quæ temere efficta uideri possint, tamen recipiuntur, ἐπεὶ καὶ τὰ ἐν Ὀδυσσεύϊ ἀλλοτρίων τῶν ἐκείνου, in odyssea consentanea non uidentur, quæ de expositione Ulyssis dicuntur. alludit Aristoteles ad locum Homeri, qui est libro decimotertio odysseæ. Ulysses naufragus ad Alcynoum uenerat, is misit, qui Ulysses cum donis amplissimis auerent, qui altissimo somno sopitus solum tandem se in litore cum donis esse animaduertit. quis hoc credat? quis de auro pluuiio Danaes? quis de alijs? poetæ tamen ueterum figmenta tanquam leges seruant: quare Aristoteles etiam atque etiam præcipit. τὸν πρὸς ἡλειμυλίδος μύθοισιν ἄλλοι οὐκ ἔστι, λέγει δὲ οἷον τὴν κλυτὰ μνήστραν ἀπὸ Δαναοῦ (αὐτὸν ἔπειτα ὄρεσον), καὶ τὴν Εὐφύλλω ἔπειτα τῆς ἀλκμαίωνος. receptas fabulas non licet immutare: dico autem, ut Clytæmnestram ab Oreste occisam, et ab Alcæone Eriphylem.

SIBI CONVENIENTIA FINGE. si fingis, finge conuenientia sibi, idest personæ tribue ea, quæ ei conueniunt. foeminæ si fortitudinem tribueris, fortasse non conuenientia finxeris. Aristoteles in poetice. δεύτερον δὲ τὰ ἀρμόττοντα, ἔστι γὰρ ἀνδρείον μὲν τὸ ἥθος, ἀλλ' οὐκ ἀρμόττον γυναικὶ τὸ ἀνδρείον, ἢ δεινὸν εἶναι. secundo loco conuenientia: est enim fortis quidem mos, sed non conueniens mulieri, ut fortis sit, uel acris. Herodotus quidem Artemisiam fortem facit, quia historiam scribens ueritati se addixit. poeta autem qui fingit, non Artemisiam aut Fuluiam Antonij uxorem aut Chlæliam fortissimas foeminas respiciet, sed commune foeminarum ingenium,

IN POETICEN HORATII

quæ timida esse solent, exprimet. unde Virgilius de Cleopatra.

Ipsa uidebatur uentis regina uocatis
Vela dare, & laxos iam iamq; immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis, & Iapyge ferri.

REPONIS. sumptum ab Homero, iterum tu tuis in scriptis ponis, atque illustras. aliquando reponere est rem pro re beneficium compensando reddere. ut Iuturna apud Virgilium de Ioue,

Hæc rapta pro uirginitate reponit. HONORATVM ACHIL-

LEM. exemplum affert Achillis, quem sui similem passim, ut ab Homero didicimus, effingere, atque exprimere debemus. & est præceptum hoc similitudinis, quod a conuenienti elicitur, conueniens refertur ad sexum, ætatem, dignitatem, simile ad unum aliquem hominem, in quo poeta seruet similitudinem, ut Homerus in Achille. Aristoteles in poetice. Τὴν τὸ ὅμοιον. ὅμοιο γὰρ ἔστι τὸ οὐκ ἴσον τὸ ἡθὺς, καὶ ἀρμόδιον ποιῆσαι. tertio loco simile est. nam hoc diuersum ab eo indicatur, quo bonum, & conuenientem morem fingimus. sic Virgilius Aeneam ubique piæ, ubique fortem expressit. Lucanus ubique Cæsarem improbum, & tyrannidis cupidum, Pompeium uero excellenti uirtute præditum, sed fortunam aduersissimam habentem. si descriptionem hanc Achillis Horatianam cum Pindarica conferes, quæ est ode tertia Nemeorum, magnam uoluptatem capies. IMPIGER. uelox. Homerus multis locis de Achille πόδας ὠκύς ἀχιλλεύς, pedibus celer Achilles. de eodem Pindarus in Nemeis ode tertia.

κτείνοντα τ' ἐλάφους ἀδύκων
νῶν, δολίων θ' ὄρεων:
πρὸς γὰρ κράτιστον.

Occidentem ceruos sine canibus, & dolosis retibus: pedibus enim pollebat. IURA NEGET, &c. neget iura nata sibi, idest nolit legibus parere, ut feroces nolunt: principes autem legibus soluti sunt, & Achilles quidem princeps erat. Ulpianus iuriconsultus libro primo Digestorum, titulo de legibus, lege trigesima prima sic inquit, Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non est, princeps tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habent. quod fortasse Plato improbens in symposio leges reges urbis nuncupat, φασὶν οἱ πόλεως βασιλεῖς νόμοι δίκαια εἶναι.

NIHIL NON ARROGET. omnia putet se armis posse consequi: arrogare enim est sumere, & uendicare sibi. docet Horatius fortem describendum Achillem, non dolosum, ut uir pugnet, non fraude, ut libro primo græcorum epigrammatum Lacedæmonium dicentem inuenies.

κείνοι πηχάεντες, ἐγὼ δὲ μὲν, ὡς ἐπέοικεν
τοῖς Λακεδαιμονίων ποισι, εἶω κράτῳ.

Illi Messenij scilicet, & Argiui, dolosi sunt, ego uero, ut filios decet Lacedæmoniorum, uir, ac uirtute polleo, & uinco. MEDAEA FEROX. quæ ulta Iasonis perfidiam

perfidiam ei filios comedendos dedit, & fratrem Absyrtum lacerauit, eiusque membra disiecit, ut insequentis illam patris cum Iasone fugientem impetum retardaret. quam Mitridatem Ponti regem imitatum ait Cicero in oratione pro lege Manilia, qui aurum dissipauit, & prædam opimam, ut insequentis milites Luculli prædæ intentos reprimere-
FLEBILIS IONO. hæc fugiens Athamantem maritum furiosum in mare se cum filio deiecit, mox Leucothea dicta, filius Palæmon. flebilem uocat, ob mariti furorem, & quod, cum dea esset, in eius templo sacerdotes flebant, ut Aristoteles scriptum reliquit libro secundo rhetoricorum, οἱ ξυνοφαίης ἐλεάτησ δρωτῶσιν, εἰ δύνουσι τῆ λακωδεία, καὶ θρωούσι, ἢ μὴ, σωεβούλασιν, εἰ μὲν θεὸν ἄπολαμβάνουσι μὴ θρωεῖν, εἰ δ' αἰθρωπῶν. μὴ δύνειν. ut Xenophanes Eleates quærentibus, deberent ne Leucothæ sacra facere, & flere, nec ne, consuluit, si deam esse censerent, ne flerent; si hominem, ne sacra facerent. de hoc diximus etiam in Parergis libro primo, cap. decimosexto. **PERFIDVS IXION.** quod conuiuia Iouis Iunonem de stupro interpellauit, cui illa similem sibi nubem obiecit, ex qua is Centauros procreauit. qua fabula ambitiosos significari non uero bono, sed eius umbra fruente, ambitione scilicet, Plutarchus docet in uita Agidis, & Cleomenis. **IO VAGA.** quæ in uaccam à Ioue conuersa, ne Iuno adueniens eius furtum deprehenderet, æstro à Iunone agitata, ubi ad Nilum peruenit, apud Aegyptios diuinos honores meruit. Ouidium lege. de ea Virgilius libro septimo.

At leuem clypeum sublatis cornibus Io
 Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
 Argumentum ingens, & custos uirginis argus,
 Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.

TRISTIS ORESTES. propter conscientiam occisæ matris. Virgilius. Hinc Agamemnonius furijs agitatus Orestes. quas furiâs Cicero in oratione pro Sex. Roscio Amerino malam conscientiam interpretatur. In Oreste Euripidis sic Orestem Menelaus increpat, ὁ μητρὸφόντης ἢ φόνω προῶτων φόνον. ὁ matricida, morte mortem cumulans. cui sic Orestes respondet, ὁ πατρὸς ἀμύνητωρ, ὃν σὺ προῶτως θανάειν. ὁ patris ultor, quem tu in morte prodidisti. Euripidis Orestem ante oculos habebat Horatius, cum hæc scribebat; uel certe Aristotelem, qui libro tertio rhetoricorum, ubi de epithetis agit, sic inquit, ἔστι μὲν τοῖς ἡδιθίστοις ποιεῖσθαι ἀπὸ φάουλῶ, ἢ αἰχρῶ. οἱ ὁ μητρὸφόντης, ἔστι δ' ἀπὸ τῆ βελτίονος, οἱ ὁ πατρὸς ἀμύνητωρ. licet epitheta à loco malo, & turpi deducere, ut matricida: licet etiam à meliori parte, ut patris ultor. tristis igitur erat Orestes, uel cum illum Menelaus, & alij increpabant, quod matris necesse inquinauerat, uel cum ipse secum facinoris speciem memoria repetebat. **INEXPERTVM.** hætenus dictum est de ijs, qui famam sequuntur: nunc de ijs dicit, qui personas inducunt à nullis ante poetis inductas. et ideo eos ait scenæ committere, idest tragœdiæ rem inexpertam, ab alijs non tentatam. hoc innuit fecisse Aeschinem Demosthenes in oratione de falsa legatione, his uerbis. ὅσ γὰρ ἀπῶνασ κωνούσ ὡσ πρὸ δράμασ.

6.77.
 τα, καὶ τούτω ἀμφοτέρους πρὸς διαμεμετρημένω πλὴν ἡμῶν αἰρεῖς, δῶκων,
 δὴλον ὅτι πάνθενος εἶπός. PERSONAM NOVAM. de qua nullus alius
 poeta dixerit, uel nouam, ex historia in poema deductam, ἔτι ἰccirco quasi hospitem,
 ut si quis Horatiam scribat, uel Porciam Bruti. AD IMVM. ad finem. AB
 INCEPTO. ab initio. similem sibi ubique finge. innuit Horatius aequalitatem,
 quam Aristoteles in poetice τὸ ὁμαλὸν uocat, τὴν τὰρ τῶν δὲ τὸ ὁμαλὸν, etc. discrepant
 inter se ὁμοιον, καὶ ὁμαλὸν, idest simile, ἔτι ἀξιοῦσιν, nam similitudo ad eos refertur,
 de quibus alij etiam scripserunt, aequalitas ad eos, de quibus nos tantum scribimus,
 perpetuam aequalitatem seruare debemus in ea, quam inducimus, persona, ut sit sibi
 constans. in hoc Euripides in ea tragoedia peccauit, quae Iphigenia inscribitur, quem
 etiam Aristoteles reprehendit, his uerbis. τῆς δ' αἰὲν ὁμαλῶν ἢ εὐαυλίδι ἰοιχλῆια,
 οὐδὲν γὰρ εἴκειν ἢ ἰκετοῦσά, τῆς ὑσδρα. Iphigenia in Aulide inaequalitatis exem=
 plum est, nam cum supplex est, nihil sibi similis postera die uidetur. primum apud
 Euripidem Iphigenia Agamemnonem patrem orat, ne se maeret, cum inquit.

ἰκετοῦσά δὲ γόνασιν ἔξάπῳ σέθεν,
 τὸ σῶμα τ' οὐ μὲν, ὅπῃρ ἔπικταν ἠδὲ σοι,
 μή μ' ἀχλὺς ἄωρον. ἠδὲ γὰρ τὸ φῶσ
 βλέπειν. τὰ δ' ἄπο γῆς μή μ' ἰδεῖν αἰακῆσῃς.

Supplicem me ad tua genua aduoluo.

Corpus meum, quod haec tibi peperit,

Ne mihi intempesium perdas: suauis enim est lucem

Aspicere, ἔτι quae sub terra sunt, ne me uidere cogas.

Mox cum pro ea intercedit Achilles, ne maeretur, ait illa uelle se libenter pro salute
 Graecorum mori.

σύ δ' ὦ ξεῖνε
 μὴ θυήσκει δὲ ἐμὲ, μηδ' ἀχρητείνῃς ἕνα,
 εἴα δὲ σῶσαι με ἑλλάδα, ὡδὲ δωῶμεθα.

Tu uero hospes,

Ne mea causa pereas, nec quenquam perimas,

Sine, ut Graciam seruem, si queamus.

At uero Virgilius similem sibi Didonem, ἔτι constantem ubique conformat: illa enim
 ubique amat, modo aperte amorem dissimulat:

Neque te teneo, nec dicta refello.

I, sequere Italiam, ἔτι uentis pete regna per undas.

Mox amantem poenitet, cum ad Aeneam mittit Annam,

Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando

Cogitur.

In ipso etiam rogo conspectis Aeneae donis illa=
 chrymauit.

Hic postquam Iliacas uestes, notumq; cubile

Conspexit, paulum lachrymis, & mente morata
Incubuitq; thoro. &c.

XVIII.

Difficile est proprie communia dicere, tuq;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictaq; primus.
Publica materies priuati iuris erit, si
Non circa uilem, patulumq; moraberis orbem,
Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex.

Cum in superiore contextu dixisset Horatius, nouam aliquando personam induci, cum nos rei sumus auctores; aliquando non plane nouam, sed ab alio poeta desumptam, quem in fabula imitamur; nunc difficilius esse prius genus poematis censet, deinde edocet, quo modo poetam, quem imitamur in fabula, quæ prius ab illo uulgata est, superare artificio, atque omni genere possimus, ut ei omnem laudem rei inuentæ præripiamus. DIFFICILE EST PROPRIE COMMUNIA DICERE: difficile est, rem à nullo ante tractatam, & ideo communem, proprie dicere, idest ita præclare scribere, & perfecte absoluere, ut tua laus sit, & propria, ut nemo amplius futurus sit, cui te uincendi, uel proxime ad te accedendi, uel pertenuis spes ostendi possit. hunc sensum politissime Hircius expressit libro octauo de bello Gallico, ubi Cæsarem ait in commentarijs communia proprie dixisse. adeoq; inquit, probantur omnium iudicio, ut præcepta, non præbita facultas scriptoribus uideatur. quasi dicat Hircius, commentarij libri sunt, quibus res breuiter comprehendimus, ut ab alijs explicentur, & luminibus orationis illustrentur, Cæsar tamen præripuit, non præbuit alijs scribendi facultatem, quia communia proprie dixit. nam communia hic, idest ab alijs intacta, & propterea nullius propria interpretamur, similitudine earum rerum, quæ nullius in potestatem sunt redactæ. de quibus Imperator Iustinianus libro secundo institutionum ciuiliū his uerbis meminit, & quidem naturali iure communia sunt omnium hæc, aer, aqua profluens, et mare, et per hoc littora maris. IN ACTVS. actus sunt in comœdia, & tragœdia. deducemus Iliacum carmen, idest Homeri Iliadem in actus, si ab Homero argumentum tragœdiæ sumemus, et sic illum quasi prælucentem sequentes rectius aliquid scribemus, quam si communia, & inexperta ab alijs consecutemur. illud enim longe est difficilius. Aristoteles etiam in poetice ex Homero argumenta sumi tragœdiarum, & comœdiarum scripsit, ex Iliade & Odyssea tragœdiarum ex margite comœdiarum, ὁ γὰρ μὴ γείτης κινάλοτον ἔχει ἀπὸ τῆς Ἰλιάδος, καὶ ὀδύσσεια πρὸς τοὺς τραγωδίας, οὕτω, καὶ οὕτως, πρὸς τοὺς κωμωδίας. Erasmus in chiliadibus sumi ait argumenta tragœdiarum ex Iliade, comœdiarum ex Odys-

sea, quem nos tantum uirum correximus in Parergis, ubi permulta alia contra illius
 sententiam annotauimus. uide Erasmus in prouerbio ἰλιάς κακῶν. Sophocles Iliacum
 carmen in actus deduxit, cum Aiace[m] scribebat. de quo ante Homerus in Iliade ceci-
 nerat, Euripides uero cum Iphigeniam, Orestem, & alij alia, ex Homero fabulam
 quasi scintillas auferentes, quas illi tragœdijs accendebant. **QUAM SI PRO-**
FERRES. rectius, inquit, & facilius ex Homero argumentum sumes comœdiæ,
 uel tragœdiæ, quàm si tu ignota, & non dicta ab alijs proferres, idest primus ederes,
 & scriberes. nam inuenire difficile est, inuentis addere perfacile, ut ait Aristoteles in
 topicis. hinc libro primo eorum, quæ post physica inscribuntur, Aristoteles idem sic ait,
 τὸν μὲν οὖν πρῶτον εἰκὸς τὸν ὀπιοιστὸν ὄροντα τέχνῃ πᾶσι τοῖς κοινὰς αἰθήσεις,
 θαυμάζεσθαι ὑπὸ τῆς αἰθρώπων, μὴ μόνον δὲ τὸ χηρῆσιμον εἶναι τι τῆς ὄρεδέντων,
 ἀλλὰ ὡς σφόν, καὶ διαφθόντα τῆς ἄλλων. primum igitur par est, eum, qui quam-
 libet artem circa sensus communes inuenit, admirationi hominibus esse, non solum quia
 res ab illo inuentæ utilissimæ sint, sed quia sapere, & inter alios uidetur excellere. un-
 de etiam post paulo aperte Aristoteles Aegyptios honeste nominat, qui primi philosopha-
 ti sunt. **PUBLICA MATERIES.** hætenus de difficultate explicandæ rei,
 quam ante nos nemo attigerit. nunc docet, quo modo antecellere illi possimus, qui rem
 prior uulgauerit. publicam materiem, idest ab altero iam publicatam exponimus. ne-
 que enim publicum, & commune idem esse censemus, quemadmodum nec iuriskon-
 sulti existimant, ut Iustinianus demonstrauit libro secundo institutionum ciuiliu[m] cap.
 primo. at Madius, clarissimus philosophus, communia paulo ante pro publicis, & ab
 altero acceptis, & sic nobis cum illo communibus, interpretatus est, & hic publica,
 idest communia exponit, cuius hæc uerba sunt, subiungit difficile esse communia pro-
 prie dicere, ita scilicet ea nouo modo exprimere, ut à nullo accepta uideantur. & post.
 regulamq; tradit, qua seruata fieri potest, ut publica priuata fiant, hoc est communia
 propria. nam sic libentius ab alijs accipiemus, quæ nostra fieri posse confidimus. hæc
 ille. cuius ego auctoritatem libenter sequerer, si mihi scrupulus eriperetur, qui mihi
 in animo residet. nam Horatius uerbum illud communia statim aperit, cum inquit,
 Quàm si proferres ignota, indictaq; primus. communia ergo sunt, ignota, & indi-
 cta. præterea si communia pro ab altero dictis, atque ab altero acceptis posuisset, sub-
 didisset non particulam, *Que*, sed particulam, *tamen*; ut hic sensus extaret: difficile
 est ita explicare, quæ ab altero accipias, ut tua laus sit, & propria, tamen rectius ab
 Iliade, & facilius argumentum sumes, quàm si nouam rem aggredereris. quæ si in
 medium afferrem, ut eruditissimi Madii sententiam oppugnarem, iure uideri possem
 ineptus. sed nos hæc quidem testata reliquimus, ut fidi interpretis partes tueamur, qui,
 quod tacite ipse secum sentit, indicet alijs etiam liberius. **PRIVATI IURIS.**
 propria iuris, qui fuerit accuratior, & dixerit excellentius. uerba sunt iuriconsul-
 torum Iustinianus libro primo institutionum ciuiliu[m], cap. octauo sic. nam quædam
 per se iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. item publicata ab altero, alterius

propria erunt in diuerso genere poematis . nam Ajax proprius est Homeri epici , pro-
 prius etiam Sophoclis tragici . **ORBEM** . recte imitaberis , & imitatione uinces , si
 non anxius fueris in uertendo toto orbe , idest toto poematis corpore , nec te iisdem uerbis
 addices , quæ antiquior usurpauit poeta , nec uereberis quædam prætermittere , quæ-
 dam etiam addere . per orbem igitur uniuersum poema intellige eius poetæ , quem imi-
 taris , & cum quo contendis . si per orbem periodum acciperes , non esses fortasse exsibi-
 landus . nam periodus est quidam orbis , et est patula , quia pluribus membris constat .
 Cicero in oratore uerborum ambitum uocat , qui certe orbis est . nam de periodo loquens
 sic ait , meæ quidem aures & perfectæ , completoq; uerborum ambitu gaudent , et cur-
 ta sentiunt , nec amant redundantia . **VILEM** . quia contemnenda ab illo est , qui
 fabulam ab altero sumit , & iccirco illi uilis est periodus , cum non in periodis , sed in
 materie desudare debeat ambitiosius . **PATVLVM** . periodus patula est , et am-
 pla . Quintilianus libro nono , cap. quarto sic ait . habet periodus membra minimum
 duo . medius numerus uidetur quatuor , sed recipit frequenter et plura . modus eius à Ci-
 cerone aut quatuor senariis uersibus , aut ipsius spiritus modo terminatur , præstare de-
 bet , ut sensum concludat . uide Ciceronem in libris oratoriis . Madius mea quidem sen-
 tentia præclare Horatium hic innuere inquit , ordinem eius , à quo fabulam accipimus ,
 esse immutandum , sic enim circa orbem non immorabimur . **NEC UERBVM
 UERBO** . sic Cicero in libro de optimo genere oratorum : conuerti enim ex Atticis duo-
 rum eloquentissimorum nobilissimas orationes , inter se contrarias , Aeschinis , Demo-
 sthenisq; , nec conuerti , ut interpretes , sed ut orator , sententijs iisdem , & earum for-
 mis tanquam figuris , uerbis ad nostram consuetudinem aptis , in quibus non uerbum
 pro uerbo necesse habui reddere , sed genus omnium uerborum , uimq; seruaui : non
 enim ea me annumerare lectori putauit oportere , sed tanquam appendere . Cicero in
 Catone uertens locum Xenophontis ex libro octauo de institutione Cyri , ubi moriens Cy-
 rus filios alloquitur his uerbis , εἰ μὲν οὖν οὐ τὰς ἔχει τὰ ἄλλα ὡς πρὸς ἐγὼ οἶομαι , καὶ ἢ
 ψυχὴν καὶ αὐτὰ λείπει τὸ σῶμα , καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καὶ ταυδοῦ μὲνοι ποιεῖτε , ἃ ἐγὼ
 οἶομαι . sic inquit . quare si hæc ita sunt , sic me colite , ut Deum . qua inuersione Ci-
 cero multa omisit . eam nos expendimus in Parergis , audacius fortasse in Ciceronem in-
 uecti , sed tamen non sine argumentis . atque utinam extarent Aeschines , et Demosthe-
 nes à Cicerone uersi . quemadmodum uertendi græci essent , melius perspicere potuisse-
 mus . quanquam mihi quidem hoc desiderium leuauit uir doctissimus , atque eloquen-
 tissimus , Paulus Manutius , qui quatuor Demosthenis orationes contra Philippum su-
 perioribus annis ita quidem in latinam orationem uertit , ut nihil fieri possit perfectius :
 ille enim non solum præceptum Horatii , & Ciceronis in uertendo seruaui , sed etiam
 latinam linguam re ipsa probauit Græca esse uberiolem , & locupletiolem . quod uer-
 bo tantum affirmauit Cicero libro primo de finibus , & libro secundo Tusculanarum
 quæstionum . **NEC DESILIES IMITATOR IN ARCTVM** . tu , qui
 imitator es , non fidus interpretes , ne descendas in angustum hunc locum , ut uerbum

IN POETICEN HORATII

uero uelis interpretari, & liberius exspatiari non possis. id enim omnino faciendum uidetur, quod elegantissime, & doctissime noster Riccius praescribit libro secundo de imitatione, his uerbis. Cicero Milonem caedis reum fortissima oratione (si eam habuit integram, quae pro Milone legitur) defendit, at Brutus idem effecisse, sed alio idem effecisse modo dicitur, neque fortasse imperite. quid uero si Hortensius eam quoque causam perorasset? num ei quasi ad alterius eorum utrius ingenium inueniendi ratio conclusa, atque circumscripta esse debuisset? ut non solum multa addi ad aliorum inuenta, uerum etiam alio illa ipsa modo inueniri, atque excogitari facile possint. Socrates in Ione Platonis, πὶ δὲ οἱ ἄλλοι ποιηταὶ ἔπειθ' ἴδωσ' αὐτῶν τῶν ποιημάτων. quid alij poetae non de his ipsis rebus agunt? cui respondet Ion. ναὶ, ἀλλ' ὦ σὺ κράτεος οὐκ ὁμοίως πεποιήκασι, καὶ ὁμῆρος. nae, at non ea ratione, qua Homerus, alij carmina panxerunt. PUDOR UETET. pudor uetat nos proferre pedem, idest discedere ab ijs, quae temere sumus aggressi, & sic malle solemus in errore obstinate persistere, quam cessare, quae res laudabilis non est. unde Plato in Carmide Socratem inducit praecclare Carmidis opinionem oppugnantem, qui dixerat temperantiam esse pudorem, οὐκ ἀρὰ σωφροσύνη αὐτῆς εἶναι αἰδώς. εἰπὼν τὸ μὲν ἀγαθὸν τυγχάνει ὄν. αἰδώς δὲ μηδὲν μᾶλλον ἀγαθόν, ἢ καὶ κακόν. non igitur temperantia pudor esset, si haec bona est, pudor non minus malus, quam bonus. uerba haec omnia, desilire in arctum, unde pudor proferre pedem uetet, militarem quandam imaginem praeseferunt. nam Imperatores, qui in locum angustum, & in hostium insidias deuenerunt, malunt aliquando occumbere, quam fugere. Xenophon in paralipomenis libro primo, καὶ μικρατίδης δὲ εἶπεν, ὅτι ἢ πᾶρ τῆς ἑδρῆς μὴ κακίον οἰκείτω αὐτῶν ἀρδανόντος, φύγειν δὲ αἰσχρόν ἔστιν, ἔφη. Callicratides uero inquit, nihilominus me mortuo sparta habitabitur, fugere omnino turpe est, inquit. OPERIS LEX. institutum, quo iam opus tractare coepisti. turpe enim est, aliquid aggredi, quod demum omittere cogaris, ut si uerbum uerbo reddere inceperis, mox te ad fabulam tantum exprimendam conuertas. legem appellauit, quod institutum est, etiam Epicetus. ὅσα περ σίδηροι, τούτοις ὡς νόμοις, ὡς ἀσεβήσων, αὐτῶν πᾶσι βῆς ἐρμύει. quaecunque proposita sunt, his ueluti legibus, ut peccaturus, si inde pedem proferas, consiste.

XIX.

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim,
 Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
 Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
 Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Redit ad Epicum Horatius, quem monet, ne uelit principium poematis sui grandioribus uerbis contexere, propterea quod principium tenue potius esse debet, quam turgidum, atque inflatum. proponit uero sibi Cyclicum poetam pro cunctis exagitantem, qui bellum Troianum scribens nimis grandi principio erat exorsus, eiusque in com

paratione Homerum ob excellentem artem summe extollit . requirit hoc etiam in oratorio principio Quintilianus libro quarto cap. secundo his uerbis . nec minus diligenter , ne suspecti simul in ulla parte, uitandum , propterea quòd minime ostentari debet in principijs cura , quia uidetur ars omnino dicentis contra iudicem adhiberi . M. Tullius in oratore ad Brutum sic inquit , medius ille autem , quem modicum , et temperatum uoco , si modo suum illud satis instruxerit , non extimescet ancipites dicendi , incertosq; casus : etiam si quando minus succedet , ut sæpe fit , magnum tamen periculum non adibit : alte enim cadere non potest . Zezes Hesiodi interpres Procli principium inflatus arguit his uerbis , quasi huiuscemodi principium omnibus sit uitandum , ἔκαστος μετῴρολογεῖ , καὶ συμφᾶζει κρημνητορῶν . CYCLICVS . Antimachus cognomento Cyclicus , uel quispiam alter , qui in circulis , quos græci uocant κύκλιος , unde Cyclicus deductus uidetur , sua carmina , ut ait Acron , recitaret , cuius mihi sententia placet , quam ueterum etiam scriptorum testimonijs munire possumus . Plutarchus enim in libro de musica sic habet , ἔχεις ἔφη τῶν ᾠδικυκλίουσιν ποδὶ μοισικῆς λόγους , habes inquit circulares de musica sermones . hic poeta fortasse etiam curabat , ut à rapsodis sua carmina passim recitarentur : erant enim rapsodi carminum recitatores , Plato in Ione . ἀλλὰ σοφοὶ μὲν πού ἐσὶ ὑμεῖς οἱ ῥαψῳδοὶ , καὶ οἱ ᾠδοκρίται , καὶ ὧν ὑμεῖς ἄδετε τὰ ποιήματα ? sed uos rapsodi sapientes estis , ἔσθ' hypocritæ , ἔσθ' quorum uos poemata canitis . de ijs , quæ Aristoteles uocat ἐκυκλῖα libro primo de moribus ad Nicomachum , annotauimus in Parergis libro secundo , cap. XX . contra Eustratij sententiam . FORTVNAM PRIAMI . sic incipiebat Cyclicus , promittens se dicturum de uicissitudine rerum maximarum : ubi enim fortuna dominatur , ibi sint incerti exitus rerum necesse est . de ea Marcellinus sic ait libro decimoquarto in fine , hæc fortuna mutabilis , ἔσθ' inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem , ἔσθ' Dionysium , gentium quondam terrorem , Corinthi literario ludo præfecit , hæc Andriscum in Fullonia natum ad Pseudophilippi nomen euexit , ἔσθ' Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit uictum , ἔσθ' quæ sequuntur . talia pollicebatur Cyclicus dicturum se de Priamo , qui olim Asiæ rex diruta , atque inflammata Troia , ad miseram fortunam redactus misere à Pyrrho fuit contrucidatus . nam sequens Marcellinus hoc etiam addit de Pompeio . Istius iniquitate Pompeius post quæsitum Magni ex rerum gestarum amplitudine cognomentum ad spadonum libidinem in Aegypto trucidatur . Pindarus cum tantum in humanis rebus posse fortunam uideret , eam filiam Iouis appellauit ode IB . olympiorum .

λίσομαι παῖς ἕλωός ἐλαττορίου
σώτερρα τύχα .

Obtestor filia Iouis liberalis seruatrix fortuna . HIATV . granditate . nam pleno ore uersus est proferendus . hiatus terræ est . Virgilius . sed mihi uel tellus optem prius ima dehiscat . Catullus . cum grauis exustos æstus hiulcat agros . PARTVRIENT MONTES . usurpatur hic uersus in eos , qui magna quidem pollicentur , sed nihil

IN POETICEN HORATII

praestant. Lucianus in libro de conscribenda historia, sic, εἶπον δ' ὅτε εἶδες παίζωντα, περὶ σωπείον Ἡρακλέους πάμμεγα, ἢ Ἰτάνος ποδαικίμων, δὲ θύς γὰρ οἱ ἀνελθόντες ἐπιφθίγονται αὐτοῖς τὸ, ὠδίνεν ὄρος, idest sicubi amorem uideres ludentem, personam Herculis magnam, uel Titanis gestantem, statim audientes secum dicunt, parturijt mons. Athenæus libro decimoquarto de coenis sophistarum, Tachum regem Aegypti iocatum ait in Agesilaum, qui corpore pusillus erat, nomine uero celebris, τὸ δὲ σκώμμα εἶχε ἡ. ὠδίνεν ὄρος. ἕδρ' δὲ ἐφοβείτο. τὸ δ' ἐπικεν μῦ. scomma hoc erat. parturibat mons. Iuppiter autem quid pareret metu percussus expectabat. hic uero murem peperit. cui respondit Agesilaus, φωνήεσθε μοι ποτε καὶ λέων. tibi aliquando etiam leo uidebor. RIDICVLVS MUS. desit in unam syllabam mus, non sine artificio. nam Quintilianus libro octauo, cap. quarto sic inquit, risimus merito nuper poetam, qui dixerat, praetextam in cista mures rosere Camilli. at Virgilij miramur illud, saepe exiguus mus. nam epitheton exiguus aptum, proprium efficit, ne plus expectaremus, & clausula ipsa unius syllabæ non usitata addidit gratiam. imitatus utrunque Horatius, nascetur ridiculus mus. hæc Quintilianus.

XX.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte,
 Dic mihi musa uirum, captæ post tempora Troiæ
 Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
 Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
 Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
 Antiphatem, Scyllamq; & cum Cyclope Charybdim:

QUANTO RECTIVS HIC. quanto melius, inquit, Homerus incipit, quam Antimachus Cyclicus? hunc Antimachum, si modo per Cyclicum Antimachum intelligit, Horatius hic prorsus irridet. de eo tamen Cicero honorificentius loquitur in libro de claris oratoribus his uerbis. nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum Clarium poetam ferunt, qui cum conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod nouistis, uolumen suum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquissent, legam, inquit, nihilominus: Plato enim mihi unus instar est omnium. ibi Corradus, uir doctissimus, clarum poetam legit non Clarium. hic tamen, inquit, in alijs libris legimus clarum, fortasse melius, quod ut dicimus saepe exempli causa, Virgilius nobilis, & clarus poeta, sic raro dicimus Virgilius Mantuanus poeta. Antimachus præterea Colophonius à Suida Athenæo, & alijs, non Clarius appellatur. quòd si quis arguat Clarum locum Colophoni uicinum fuisse, & à uicinis locis licere Claros homines appellare: dicam, poetis, non oratoribus, & historicis hoc ipsum concedi. poetam uocat Cicero, ita, ut unus sit è sex illis, qui per excellentiam poetæ nominantur, ut interpretes Oppiani scribit, & Lilius refert. Thebaida composuit, & libros quatuor, & uiginti scripsit ante, quam duces ad urbem perduceret, ut Lilius

in poetis

in poetis refert. hæc de Antimacho libenter persecuti sumus. ex quibus conijcere possu-
mus nobiliorem illum poetam fuisse, quam hic Horatius indicat, quando per Cyclicum
Acron, & Porphyrio Antimachum exponunt. NIL MOLITVR INEPTĒ.
nil meditatur, & scribit imperite. unde Socrates in Platonis Ione iure optimo Home-
rum ἀείδων, καὶ θεϊότατον τῶν ποιητῶν uocat, idest optimum, & maxime diuinum
inter poetas. & cum poetam dicimus, illum per excellentiam inter græcos intelligimus,
ut inter Latinos Virgilium: ut Iustinianus etiam ait libro primo institutionum ciuiliū.
DIC MIHI MVSA VIRVM. duobus uersibus expressit Horatius princi-
pium odysseæ tribus uersibus constans.

αἰδρα μοι ἐνεπε μοῦσα πλὴν ἔργον, ὅς μάλα πλῆξι
πλάγχθη, ἐπεὶ τοίους ἰδρὸν πολίεθρον ἔπιδρα,
πλάων δ' αἰθρῶπων ἰδεν ἄσεια, καὶ νόον ἔγω.

In qua uersione defecisse mihi quidem uidetur Horatius. nam πλὴν ἔργον, quæ dictio
lumen horum carminum, & splendor maximus est, non attigit. ea uero Ulysssem
multa scientem, floridius græce, quam nos uno uerbo exprimere latine possimus, signi-
ficat. quòd si quis hic pro Horatio argutabitur, dicens, hoc illo carmine fuisse declara-
tum, Qui mores hominum multorum uidit, & urbes: huic ego respondebo, tertium
Homeri uersum illo retulisse Horatium, non dictionem illam πλὴν ἔργον. quam non
addidisset Homerus, si tertio tantum uersu, quem conceperat animo, sensum eloqui
potuisset. NON FVMVM EX FVLGORE. illi ex fulgore fumum dant,
qui initio præclare se gerunt, mox tanquam lumen uidentur extingui, & deficiunt
paulatim, uel etiam repente. sumpsit similitudinem Horatius ab aeris, & aqueis cor-
poribus, etiam terreis; quæ cum sunt combusta, fumum retinent, & nigredine sunt
aspersa. Aristoteles in libro de coloribus, τὸ δὲ μέλαν χράμα συμβαίνει γινέσθαι, ὅταν
ὁ αἴθρ, καὶ τὸ ὕδωρ ὑπὸ τῆς πυρὸς διακαυθῆ, διὸ καὶ πάντα τὰ καόμενα μελαί-
νεσθαι, καὶ ἀπὸ ξύλων, καὶ αἰθρακῶν σβεσθέντος τῆς πυρὸς, καὶ ὅ ἐκ τῆς κοράμης κα-
πνὸς ἐκκενομένης τῆς αἰὲρ πύρροντος αἰ τῷ κοράμω ὑγρῶ, καὶ καομένου. nigrum au-
tem colorem fieri contingit, cum aer, & aqua ab igne comburuntur, quare & omnia
ambusta nigrescunt, ut ligna, & carbones igne extincto, quin & fumus, qui ex late-
re prodit, ubi humidum, quod lateri inerat, excernitur, & comburitur. ubi Portius,
clarissimus philosophus, quod ad fumum attinet, sic inquit. Quod in lignis declarauit,
& carbonibus, idem in terreis usu uenire demonstrat, confirmans id per fumum,
quem terrea exhalant, qui iccirco nigricat, quoniam ignis educit humiditatem, eamq;
adurit. & paulopost. καπνὸς, quem fumum uocamus, est lignorum, eorum scili-
cet, quæ ex mixtura humidæ, & terreæ substantiæ constant. λιχνὸς autem est thu-
ris, picis, & odorabilium, quæq; minus habent humiditatis, ac magis terrea sunt.
κνίσσα uero, quem nidorem quidam interpretantur, est olei, eorumq; quæ oleagina
sunt, & pinguia. sed hæc quarto Meteororum ab Aristotele diffusius discutiuntur.
cap. de ustibili. SED EX FVMO DARE LVCEM. ἢ lucem dant ex fu-

IN POETICEN HORATII

mo, qui è tenui, ac mediocri principio altius prouehuntur, & perpetuo quodam tenore semper excrescunt: non qui post illustre principium, quasi quodam repente uento destituti flaccescunt, ut de Galba inquit Cicero in Bruto, & superioribus mensibus Bononiæ, uir nobilissimus, Franciscus Bolognetus, de quodam poeta Ethrusco dicebat, cuius principio nihil esse potest illustrius, reliquo poemate nihil obscurius. hoc est, inquit, fumum ex fulgore, non ex fumo dare lucem. SPECIOSA MIRACULA. per miracula ea monstra hominum, uel ferarum potius intelligit, quæ statim refert. speciosa autem, idest immania. nam, quæ uasta sunt corpora, plus speciei & formæ habent, quàm exigua. Homerus de Tydeo exigui corporis, εἶδος μὲν ἔλω κακός. forma malus erat, idest non speciosus, quod alibi de Dolone etiam protulit. uel speciosa, pulchre explicata. ANTIPHATEM. Lestrygonum regem, qui homines deuorabat. Homerus odysf. κ. SCYLLAM. de hac, & Charybdi, odysf. μ. CYCLO-

Ἀναστροφὴ καὶ ἰσότης. Polyphemo, odysf. θ.

uel ια.

X XI.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
 Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,
 Semper ad euentum festinat, & in medias res
 Non secus, ac notas auditorem rapit, & quæ
 Desperat tractata nitescere posse, relinquit,
 Atque ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
 Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Mirabitur fortasse aliquis, cur Horatius de principio heroico hic agat, quod non à primis rebus, sed à medijs, uel postremis deducitur, cum de hac ipsa ratione superius contextu sexto satis multa præceperit; & Horatium superuacanea uel hoc, uel illo loco scripsisse affirmabit. quam nos quæstionem sic dissoluimus. in sexto contextu Horatius de ordine agebat, & quia ad ordinem referuntur principium, medium, ultimum, obiter etiam de principio hoc ipso heroico, & breuiter uerba fecit, nunc proprie, & uere de principio disserit, quare occasio non fuit dimittenda. quinetiam obiter hic repetit primum huius libri præceptum, cum inquit, primo ne medium, medio ne discrepet imum. solent enim ueteres, & boni scriptores sæpe ea repetere, quæ alibi explicauerunt. Aristoteles in primo libro de Anima de perturbationibus animi, idest τὸ δὲ τῆς ψυχῆς, obiter, & breuiter disputauit, de ijs in libro secundo rhetoricorum proprie, & fusius disseruit: de sensibus copiose dixit libro secundo de Anima, de ijsdem mox librum conscripsit, quem etiam inscripsit τὸ δὲ τῆς αἰσθητικῆς νοῦ αἰσθητικῆς. quid Cicero? quoties eadem repetit, atque inculcat? hoc uero notum est lippis, ut aiunt, & tonsoribus. In oratore ad M. Brutum sic etiam docet. Cum autem, quid, et quo loco dicat, inuenerit, illud est longe maximum, uidere, quonam modo. scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Carneades

dem autem etiam eodem modo eadem dicere. sæpe autem usu uenire solet, ut de iisdem rebus nobis dicendum sit uberius, de quibus alibi pressius diximus, ut Themistius inquit libro quinto physicorum, contextu nono. hæc uero persecuti sumus copiosius, quia multos mirari animaduertimus, quamobrem Horatius bis de principio heroico egerit. **NEC REDITVM DIOMEDIS.** Diomedem regno pulsum, & redeuntem uxor Aegiale arcuit. uide Dictem Cretensem. Meleager autem frater Diomedis fuit, qui tantum consumebatur, quantum facem fatalem mater Althæa consumebat. Hyginus, & Ouidius. **GEMINO OVO.** bellum Troianum ob raptam Helenam exarsit, sed Homerus a sacerdote Chryse, cuius filiam Agamemnon ad Troiam captiuam habebat, exorsus est, non ab ortu Helenæ: quæ ex ouo nata perhibetur: Iuppiter enim in Cycnum uersus cum Læda coiuit: Ouidius. Fecit olorinis Lædam recubare sub alis. Athenæus libro secundo de cœnis sophistarum, de Helena sic ait, ὡς ἔστιν ὡοῦ ἐν γελυμηλίῃ, quod esset ex ouo genita. quidam aiunt ouum e' coelo decidisse, ut ibidem scribit Athenæus. symposiis libro secundo Plutarchus sic habet, τὸ τυνδαράειον ὡὸν οἱ ποιηταὶ λέγουσιν οὐρανοπέτρης ἀναφύωαι. Tyndaræum ouum poetæ aiunt e' coelo delapsum apparuisse. Acron ex ouo gemino prognatos ait Castorem, & Pollucem, de Helena non meminit: cui tamen reclamat Athenæus, cuius uerba retulimus. nos ex altero ouo natam Helenam, ex altero Castorem, & Pollucem dicimus. Sebastianus quidem Corradus, uir doctissimus, qui cum Regij de gemino hoc ouo Horatij uerba feceram, ut eius sententiam elicerem, nuper ad me Bononia sic scripsit. **GEMINO.** nam ex altero Pollux, & Helena, ex altero Castor, & Clytemnestra nati dicuntur: quanquam Pausanias in Laconicis, Hyginus, Lucianus, Lycophronis interpretes, et omnes pene scriptores, quos ipsi uidimus, unum ouum fuisse testantur, ex quo nati sunt Castor, Pollux, Helena: ut sequendi uideantur illi, qui gemino interpretantur, utriusque sexus, uel magno, uel in quo essent gemini, uel pari, uel potius duos uitellos habenti: sic enim scribit Aristoteles libro sexto de historia animalium, τὰ δὲ διμα τῶν ὡῶν δύο ἔχει λεχίδου: & libro primo de generatione animalium, τὰ δὲ διμα τῶν ὡῶν δύο ὡὰ ἔστιν: et Plinius libro decimo, cap. quinquagesimoquarto, quædam gallinæ omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt pullos.

AD EVENTVM, ET IN MEDIAS RES. ad finem, & ad medium se confert, unde initium petit. uide quæ diximus supra contextu VI. ex Plutarcho, et Theone. **AVDITOREM.** cur non lectorem potius? responde, quia etiam Homeri scripta recitabantur, ut tragoediæ, & comœdiæ. Plato in Ione, ubi Ion ait se ab Epidaurijs uenire, μήν καὶ ῥα Ἰωνδῶν ἄωννα πιδάσι τῷ θεῷ οἱ ἐπιδάουροι; num rapsodorum certamen deo Epidaurij instituerunt? rapsodi autem erant ij, qui Homeri, et aliorum epicorum carmina recitabant, ut eodem dialogo Plato testatur. **TRACTATA NITESCERE.** ea prætermittit, quæ polite uerbis explicari non possunt: sunt enim quædam ita horrida, ut splendescere oratione nequeant. quare Tizantem poetæ sæpe imitantur. de quo Cicero sic in Oratore ad Brutum. si denique pi-

IN POETICEN HORATII

pietor ille uidit, cum in immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, moestior Vlysses, moereret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. uide etiam Quintilianum libro secundo, cap. decimoquarto. translatio est à ferro, quod rubigine infectum, si tractetur, splendescit. uel refer hoc ad magnitudinem rei, & historiae: quam uniuersam si uellet poeta complecti, ita excresceret, ut comprehendi animo non posset, & sic tractata non nitesceret. Aristoteles in poetice de Homero, qui non totum bellum Troianum, sed eam belli partem tantum, quæ ad iram Achillis attinet, expressit. *λίαν γὰρ αὐτὸ μέγας, καὶ οὐκ ἀσώπτος ἐμελεῖ ἔσεσθαι.* res nimium excreuisset, & comprehensibilis animi oculis non futura erat. **AT QVE ITA MENTITVR.** mentiri, & fingere poeta debet, ut Homerus fecit, sed tamen in mendacijs constare sibi debet, ut omnia inter se & principium medio, et medium fini respondeant, ne monstrum fiat, de quo initio huius libri legimus: poeta enim non propter metrum, sed propter fabulam, et fictionem poeta est: quare fingere omnino statuat, sed prudenter. Aristoteles in poetice. *οὐ τὰ γινόμενα λέγειν, ἔστι ποιητῆ ὄργον ἔστι, ἀλλὰ οἷα αὐτοῖς γίνοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ καὶ τὸ εἰκός, ἢ τὸ ἀναγκαῖον.* non officium poetæ est res ueras, & gestas dicere, sed quæ fierent, & quæ uel secundum uerisimile, uel secundum necessarium fieri possent. illud etiam addit Aristoteles, poetam non futurum, qui nihil fingendo Herodotum metro exprimeret, sed historicum. unde Lucanus, qui historiam de bello civili carmine retulit, poeta non habetur. is apud Martialem de seipso sic loquitur. Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam, sed qui me uendit bibliopola putat.

XXII.

Tu, quid ego, & populus mecum desideret, audi.
 Si plausoris eges aulæa manentis, & usque
 Sessuri, donec cantor uos, plaudite, dicat,
 Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
 Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.

Quia superius ijs uersibus, Intererit multum Diuus ne loquatur, an heros, Maturus ue senex &c. seruandum in ætate eorum, qui inducti loquuntur in scena, decorum præmonuerat, & nullum eius rei præceptum attulerat, nunc latius hanc rem tractat, diligenterq; ea omnia, quæ cuique ætati conueniunt, expendit. Cicero in oratore suo ad M. Brutum hoc silentio non inuoluit, cum his uerbis utitur. Semperq; in omni parte orationis, ut uitæ, quid deceat est considerandum, quod & in re, de qua agitur, positum est, & in personis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. nec uero non attigit etiam Aristoteles libro tertio rhetoricorum. *ἐπεὶ καὶ εἰ ταῦτα εἰ δδύλαος, καὶ μεπεῖρ, ἢ λίαν νέος, ἀπρεπέσθον,* quoniam & hic in soluta oratione si seruus, ornatum orationis præ se ferat, aut ualde iuuenis, erit indecorum. **ET POPVLVS MECVM.** pollicetur Horatius se suum & populi iudicium

deprompturum. dicit quispiam, non debuit tantum populo tribuere, ut eum doctissimorum hominum & poetarum elegantissimorum iudicem constituat. nam populum in poematibus dijudicandis delirare Vitruuius est testis locupletissimus, cuius hæc uerba sunt in prooemio libri septimi, ubi mentio est poetarum, qui coram populo recitarent. Aristophanes uero, cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciari iussit, qui minime populo placuisset. respondere potes ijs uerbis Ciceronis, quæ sunt in Bruto. plane inquam Attice disputationem hanc de oratore probando aut improbando, multo malim tibi, & Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari uelim. etenim necesse est, qui ita dicat, ut à multitudine probetur, eundem doctis probari. dic nomine populi contineri senatum, equites, plebem, ut auctor est Iustinianus libro primo institutionum ciuilium, ubi, quid lex sit, docet: quare prudentes etiam, et doctos homines hic intelligi, qui optime possint de poematibus sententiam ferre. **S I P L A U S O R I S E G E S.** plausus loco laudis erat. Suetonius in Galba cap. sexto sic ait. à C. Cæsare ludis substitutus postridie quàm ad legiones uenit, solenni forte spectaculo, plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus penulis continerent. si tibi uis plaudì, inquit hic Horatius, si uis ab hominibus undique applaudentibus tua poemata laudari. **A U L A E A M A N E N T I S.** aulæa expectantis, quibus insideret: aulæis enim utebantur etiam tapetum loco. Horatius in epistola ad Augustum lib. ij. epist.

Quattuor, aut plures aulæa premuntur in horas,

Dum fugiunt equitum turmæ, peditumq; cateruæ.

Aulæis etiam parietes scenæ ornabantur. Virgilius libro tertio georg.

Vel scena ut uersis discedat frontibus, utq;

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

C A N T O R. in tragœdijs enim, et comoedijs cantores adhibebantur, ut nunc etiam adhibentur. apud Terentium in Andria habes. modos fecit Flaccus Claudi filius, tibijs, paribus, dextris, & sinistris. sed de hoc inferius suo loco plura dicemus. **V O S P L A U D I T E, D I C A T.** peracta comoedia, uel tragœdia dicebant, plaudite. Quintilianus libro sexto, cap. tertio sic ait. cum uentum est ad ipsum illud, quo ueteres tragœdiæ, comoediæq; clauduntur, plaudite. **N O T A N D I.** uariandi, & quasi notis distinguendi, ne, quod est adolescentum, tribuas senibus, &c. tractum ab ijs, qui sunt ab epistolis principum, qui, ne res intelligantur, si literæ intercipientur, notis scribunt, et uariis notis uarias res significant. Suetonius in Tito Vespasiano cap. tertio. è pluribus comperi, notis quoque excipere uelocissime solitum, cum amanuensibus suis per iocum, ludumq; certantem imitari chirographa, quæcunque uidisset, ac profiteri sæpe, se maximum falsarium esse potuisse. **D E C O R D A N D U S.** decorum habendum. decor hic proprietatem indicat. **M O B I L I B U S.** naturas, & annos mobiles esse dixit, quia uolant anni, & naturæ, uel ingenia mutantur: quæ enim pueris placent, robustioribus displicent, &c. facies etiam fugientibus annis alia, atque alia fit, ut mobilis iure dici possit. Horatius in odis libro quarto.

IN POETICEN HORATII

Nunc & qui color est, puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem uerterit hispidam.

Alphenus iuriconsultus libro quinto Digestorum, titulo de iudiciis, lege septuagesima-
sexta sic inquit. quòd si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore, ut
ex eius ratione, nos ipsi, non iudem essemus, qui abhinc anno fuissetus, propterea
quòd, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, eæ quotidie
ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in earum locum accederent.

XXIII.

Reddere qui uoces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

Incipit à puero ordinem naturæ secutus. quatuor autem ponit ætates, pueritiam,
adolescentiam, uirilitatem, senectutem. Sic etiam Hippocrates libro primo aphorismo-
rum, sectione decimatertia his uerbis, Senes facillime ieiunium ferunt, mox qui æta-
te sunt constituta, minus adolescentes, omnium minimum pueri, præsertim qui acro-
ri sunt ingenio. Gellius uero libro nono cap. uigesimo octauo sic ait. Tubero in histo-
riarum primo scripsit Seruium Tullium regem populi Romani, cum illas quinque
classes, iuniorum census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui mino-
res essent annis decem, & septem, eosq; ad annum sextum, & quadragesimum
iuniores, supraq; eum annum seniores appellasse. Tullius igitur, ut patet ex Gellio,
tres tantum posuit ætates. Seruius libro quinto in illo uersu, Euryalus forma insi-
gnis, uiridiq; iuuenta, sic ait, Aetates omnes Varro sic diuidit, infantiam, pue-
ritiam, adolescentiam, iuuentam, senectam. Horatius Hippocratem secutus est.

REDDERE VOCES. non loqui simpliciter, ut putat Acron, sed respondere: quod
clarius indicium est, puerum linguam communem nosse. poterit enim quispiam cer-
tas uoces memoriæ mandare, & eas emittere expectata occasione, sed respondere ex
tempore, id demum est eius, qui linguam calleat. unde Cicero in diuinatione de Cæ-
cilio homine indocto, qui temere profitebatur, se ad accusandum Verrem idoneum es-
se, sic inquit. si enim mihi hodie respondere ad hæc, quæ dico, potueris; si ab isto libro,
quem tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus compositum dedit, uerbo uno
discesseris: posse te & illi quoque iudicio non deesse, & causæ, atque officio tuo sa-
tisfacere arbitrabor. Aristoteles libro primo physicorum, ubi docet uniuersalia nobis,
quàm singularia, magis esse perspicua, de infantibus, qui fari, & reddere uoces ne-
sciunt, sic ait, καὶ τὰ παῖδες δὲ τὸ μὲν πρῶτον πάντα τὰς αἰσθησάσ πατρῶας πρῶ-
τα γοῶσιν, καὶ μητρῶας τὰς γυναῖκας, ὕστερον δὲ διαρίξει τούτων ἐν ἑαυτοῖς.
infantes primum quidem omnes homines patres appellant, & omnes foeminas ma-
tres, deinde uero unumquemque horum distinguunt. PEDE CERTO. signum
est iam eius, qui se aliquantum ætate corroborauit, pede certo, idest confirmato ita

incedere, ut signet humum, uestigium imprimens. Virgilius hoc signum à pede in uitulo robusto expressit. Iam cornu petat, & pedibus qui spargat harenam. PARIBVS COLLVDERE. nam omnes sibi simile appetunt, et amicitia à similitudine oritur, ut demonstrauit Aristoteles libro octauo de moribus ad Nicomachum. idem libro secundo magnorum Ethicorum, interrogatum Empedoclem, cur canis in Ceramide dormiret, respondisse scribit, ὅτι ἔχει τὴν κόρα μίδι ὁμοιον ἢ κύνων, quod simile quiddam cum Ceramide canis habet. de quo loco Aristotelis quid nos sentiamus, in Parergis habes libro tertio cap. decimo à nobis declaratum. IRAM COLLI=GIT, AC PONIT TEMERE. irascitur repente, & collectam iram temere, idest facile deponit. unde Aristoteles libro secundo rhetoricorum, de pueris loquens, καὶ θυμικοὶ, inquit, καὶ ὀξύθυμοι iracundi sunt, & acutam quidem iram habent. cur uero cito placentur, causam reddit, ὀξείαι γὰρ αἰβουλῆσεις, καὶ οὐ μεγάλαι, ὡς πρὸς αἰ τῶν καμνόντων δίψαι, καὶ πείναι. celeres enim eorum cupiditates sunt, non uehementes, ut agrotantium fames, & sitis. MUTATUR IN HORAS. Aristoteles libro secundo rhetoricorum, ὅτι μετὰ βολοὶ δὲ, καὶ ἀψίχοροι πρὸς τοῖς ἐπιθυμῖαισιν. mutabiles sunt, & cito cupiditatibus satiantur. quod Ptolomæi exemplo notum est, qui Pompeij studiosus cum esset, repente Cæsaris partes tue ri cœpit. cui caput etiam obtruncati Pompeij misit. Plutarchus, Petrarca, & alii. hanc mutationem tanquam prodigium, & portentum cauere debent adolescentes: nam apud omnes male audiunt. Cæsar, inquit Plutarchus, afferentem Pompeii caput, ut scelus execratus: gemmam uero Pompeii cum suscepisset, illachrymauit. eius gemmæ signum erat ensifer leo. & si, ut fortunæ seruiret, Ptolomæus hoc effecit.

XXIII.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; , & aprici gramine campi,
Cæreus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; , & amata relinquere pernix.

IMBERBIS: impubes. Paulus iurisconsultus libro uigesimo septimo digestorum, lege quarta: si adhuc impubes tutelæ agat, nihil consumitur. uide titulum de tutelæ rationibus detrahendis, & utili curationis causa actione. CUSTODE REMOTO. adolescentum mores nunc aggreditur, quibus custodem, idest pædagogum dare necesse non est. erant serui pædagogi, qui puerum ad magistrum ducebant, eiq; custodes præerant, ut Dauus Pamphilo. Fabius Annibalis pædagogus dictus est, quòd illum per montes sequens, eius incendia, & populationes arcebat. Plutarchus in uita Fabii. Suetonius uero in uita Claudii sic ait: diu etiam, atque post tutelam receptam, alieni arbitrii, & sub pædagogo fuit, quem barbarum, & olim super iumentarium ex industria sibi appositum, se quibuscunque de causis quamseuissime.

IN POETICEN HORATII

coerceret, ipse quoque libello conqueritur. **GAVDET EQVIS, CANIBVS=**
QVE. uenatione. sic in Andria, aut equos alere, aut canes ad uenandum. studium
 uenationis in adolescentibus laudat Athenæus libro primo, quòd bellicam quandam spe-
 ciem præ se fert. ὡδὶ κωνηχισία δὲ ἰβητῶσιν οἱ νεοὶ περὶ σμελίτην τῆς πολεμικῶν κω-
 δίων. **APRICI GRAMINE CAMPI.** campum Martium intellige, in quo
 se adolescentes uariè exercebant. in odis libro primo,

= Cur apricum

Oderit campum patiens pulueris, atque Solis?

Vide Ciceronem in oratione pro Coelio, & Vegetium. apricum dixit, sub sole iacentem,
 non opacum. Virgilius in georg.

= Apricos

Bacchus amat colles.

CAEREVS IN VITIVM FLECTI. ut cæra in deteriore partem, & in
 uitia à uirtute detorquetur. nihil cæra lentius, & flexibilis est, nihil ad omnia mu-
 tabilius, ut Horatius hic similitudine eius rectissime usus uideri possit. Simplicius, do-
 ctissimus interpres Aristotelis, libro primo physicorum, sectione decimaquinta sic ait. Item
 alia diuisione unum dicitur potestate, aliud uero actu, & hæc adeo mutuo se habent
 in generatione, ut, quod unum actu est, plura sit potestate, et contra, unum potentia
 multa sit actu, ut apparet in cæra, quæ cum continua sit, & una actu, multa est
 potentia, quòd diuidi in multa potest, & quæ sequuntur. apud Sophoclem in Philo-
 ctete Neoptolemus in uitium cæreus est, qui cum dolis Philoctetem circumuenire nollet,
 licet ei plurimum instaret Ulysses, mox repente sententiam mutat, & Philoctetem cir-
 cumscribit. licet autem cærei in uitium sint adolescentes, prauitamen ipsi non sunt:
 nam si peccant, improbis consilijs deprauati peccant, non suo ingenio. Plato lib. III.
 de rep. de his. ἄτε οὐκ ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς πρᾶξι δειγμάτων ὁμοιοπαθῆναι τοῖς πονηροῖς.
 exempla non habent in se ipsis earum perturbationum, quæ improbi. **MONITO-**
RIBVS ASPER. inimicus atque infensus ijs, qui eum peramanter, & peroffi-
 ciose monent, ut patres ipsi aliquando cogantur filios huiusmodi odisse, ut de Hortensio
 ab alijs dissentiens, uir eruditissimus, Paulus Manutius in epistolis ad Atticum anno-
 tauit. Socrates in Theæteto Platonis Theætetum adolescentem alloquens sic ait, ὥστε
 ἀπὸ χυδῶς δάκνειν ἔτοιμοι εἶναι, ἐπειδὴν πινὰ λήρον αὐτῶ ἀφαιρώμεν. ut temere
 mordere prompti sint, cum ineptias ijs aliquas demo. **UTILIVM TARDVS**
PROVISOR, PRODIGVS AERIS. Aristoteles libro secundo rhetoricorum
 cum adolescentes ambitiosos, et contentione gaudentes uocasset, hoc addidit, ὠλοχρή-
 ματοι δὲ ἥκιστα, minime cupidi pecuniarum. sunt enim, inquit Aristoteles, δὲ ἐλπιδες
 bene sperantes. quare Alexander iuuenis cum primum Persarum oram conspexit, quæ-
 cunque habebat amicis donauit, cuidam quærenti quid sibi seruasset, respondit ἐλπί-
 δα, idest spem. Plutarchus in uita. **AERIS.** pecuniæ: æs enim impendebant. in
 usu fuit sero argentum, et aurum. uide Plinium libro trigesimoquarto, capite primo,
 & secundo.

et secundo. Virgilius. Non unquam grauis ære domum mihi dextra redibat.
 SVBLIMIS, CVPIDVS QVE. superbus, et cupidus. uel sublimium re-
 rum cupidus. ut illud Virgilij in georgicis.

Nec mihi displiceat maculis insignis, et albo. Idest maculis albis. hoc
 autem adolescentibus usu uenit, quia, ut ait Aristoteles libro secundo rhetoricorum, uo-
 lunt alijs antecellere: ita sunt animi sublimis, et elati. ἄποροχῆς ἢ ἐπιθυμῆς
 νεότης. Iuuentus enim adamat excellentiam. AMATA RELINQUERE
 PERNIX. ad ea relinquenda, et despicienda, quorum mirifico desiderio flagrat,
 celer, et propensus est. Plato in epistola ad Dionis propinquos de Dionysio adolescente,
 αἰ ἢ ἐπιθυμῆς Διονύτων ταχέως. horum enim cupiditates citæ sunt. PERNIX.
 uelox. Virgilius de fama.

Pedibus celerem, et pernicibus alis. Non relinquere iuuenes amata
 tantum ait Horatius, sed addit esse pernices, idest inconsideratos. nam amata relin-
 quere aliquando prudentis est, sed tamen ante, quam relinquas. uerte te in gyrum ra-
 tionis, ut loquitur Cicero libro primo de officijs. πολλὴ ἐπιχρὼν χρόνον, inquit Plato
 in Philebo. multum temporis in cogitationem adhibens.

XXV.

Conuersis studiis ætas, animusq; uirilil
 Quærit opes, & amicitias, inseruit honori,
 Commisisse cauet, quæ mox mutare labore.

Nunc uero de ætate uirili mentio est, quæ studia, et cupiditates suas à curis adoles-
 centum ad res grauiiores conuertit. CONVERSIS STVDIIS. contrarijs.
 adolescentes prodigi æris sunt. hæc quærit opes, etc. QVAERIT OPES, ET
 AMICIT. INSERUIT HONORI. quia non utilitatem tantum, sed etiam
 dignitatem sectatur. Aristoteles libro secundo rhetoricorum de uiris. καὶ οὐτὲ περὶ τὸ
 καλὸν ζῶντες μόνον, οὐτὲ περὶ τὸ συμφέρον, ἀλλὰ περὶ ἄμφω. nec ad honestum
 duntaxat in uita spectantes, nec ad utile, sed ad utrunque. hanc mediam ætatem Ari-
 stoteles designat et corporis, et animi uigore. uigorem corporis ab annis triginta ad
 quinque, et triginta perducit, animi ad nouem, et quadraginta. COMMIS-
 SISSE CAUET. cauet committere, et efficere, quæ mox labore, et conetur
 immutare, quia illam poenituerit. nam, ut summus imperator Scipio apud Cicero-
 nem libro primo de officijs dicebat, turpe est dicere, non putaram. Caius iurisconsul-
 tus recte admonet libro undecimo Digestorum, titulo de interrogationibus, lege quin-
 ta his uerbis: qui interrogatur an hæ res, uel quota ex parte sit, uel an in potestate
 habeat eum, cuius nomine noxali iudicio agitur, ad deliberandum tempus impetrare
 debet, quia, si perperam confessus fuerit, incommode afficietur. Electra in Oreste Euripidis
 sic Helenam alloquitur, ὄψε φρονεῖς δὲ, τότ᾽ ἐπιποῦσ' αἰχρῶς δόμοισ', nunc
 sero recte sentis, quæ tunc domos turpiter reliquisti. Megabazus Darium monuit, ut

ait Herodotus in Terpsicore, ne sineret in Thracia Istiæum urbem muniri, ὡς δὲ προ-
είων τὸ μὲλλον γίνεσθαι, ut recte prospiciens, quod futurum erat.

XXVI.

Multa senem circumueniunt incommoda, uel quòd
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quòd res omnes timide, gelideq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatoq; minorum.

Seneſtutis incommoda, & miseras deplorat Horatius, et, quid afferat secum mali
prouectior ætas, docet. **MULTA SENEM.** multa incommoda senem circum-
ueniunt, quasi hostem. uerbum enim circumuenire militare est. unde est illud de sene-
ſtute, & uelut agmine facto Morborum trahit omne genus. incommoda autem ſe-
neſtutis ea sunt, quæ statim subiiciuntur, ea præterea, quæ referuntur à Xenophonte
in apologia Socratis, ubi Socrates pridie quàm moreretur, multa disputans præclare in-
ducitur. is igitur letus, quòd ad ſeneſtutem malis omnibus septam, et circumuentam
non peruenisset, ea mala recenset. καὶ ὄρα ἡ τε χεῖρον, καὶ ἄνω γενέσθαι ἡσόν, καὶ δυσμα-
θῆσθαι εἶναι, καὶ ὡς ἔμαθον, ἐπιλεσιμονέσθαι, et quæ sequuntur. et uidere deterius,
& audire minus, & esse indocilem, & tardiozem, & eorum, quæ didici, obliuioſio-
rem. Hippocrates lib. II. aphorismorum, ſeſtione LIII. magnitudo, inquit, corporis
iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis, ſeneſtæ uero inutilis, & deterior
paruitate. ubi Galenus sic. in sola ergo longitudine, quòd sit iuuentæ liberalis, ſene-
ſtæ uero inutilis, uere diceretur. ex hac enim ſeneſcentes gibbi fiunt, & uix possunt
onus perferre, quod Hippocrates inutile dixit. **INVENTIS MISER AB-
STINET.** comparat sibi opes, & copias, mox partis abstinet, uere miser, atque
infelix. Aristoteles causam reddit libro secundo rhetoricorum, ἅμα δὲ καὶ δὲ τὴν ἐμ-
πειρίαν ἴσασιν, ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι, καὶ ῥάδιον τὸ ἀπὸ βαλεῖν. simul propter
experientiam sciunt, ut parare opes difficile est, abijcere uero, ac dissipare, facile. parcit
etiam arcæ senex, quia auarus nunquam expleri potest, ut in satyris passim Horatius do-
cet. apud Stobæum Eusebius dicebat, auaritia ad cumulandas opes nullum sibi uentum
sufficientem reperit. **TIMIDE GELIDEQUE.** timiditas frigus consequitur.
nam quæ inepte fiunt, frigide fieri dicuntur. Terentius, nimirum hi frigent homines,
& sine Cerere, & Baccho friget Venus. quæ ratio loquendi ab eo manasse uideri potest,
quòd frigus cibum corrumpit, calor alit, τὸ γὰρ θερμὸν αὐξάνει, καὶ διμουργεῖ τὴν
τροφὴν, ut ait Aristoteles in libro de sensu & sensili, cibum calor auget, & effingit. ubi
Alexander Aphrodisiensis, cibus si concoctus, confectusq; fuerit, addet quippiam, quo cre-
scunt animalia, at si grauis, & minime concoctus, minuet, nec alet. Demetrius Phale-
ræus, quæ in oratione minus apte dicuntur, ἰσχυρὰ uocat, idest frigida, quod facit etiam

Aristoteles libro tertio rhetoricorum. **DILATOR.** rem semper procrastinans, ac differens. Ennius de Q. Fabio Maximo. **V**nus homo nobis cunctando restituit rem. at Minutius iuuenili furore rem confici cum Annibale uolebat. Liuius libro duodecimo, Plutarchus in Fabio. **SPE LONGVS.** non diu sperans, nam hoc iuuenum est, sed tardus ad sperandum. Acron spem inquit longiorem habet uiuendi. Aristoteles, ut supra annotauimus, iuuenes dixit esse δὲ ἐλπιδας, idest bene omnia sperantes. hic interpretabimur, spe longus, idest tardus ad sperandum, uel eam spem, qua semel teneri senex coepit, diutius retinens, nec facile, et temere dimittens. ægre enim senes ad sperandum inducuntur, sed ubi sperare coeperint, non facile spem ponunt. Aristoteles quidem libro secundo rhetoricorum de senibus ægre sperantibus, καὶ ἀμωσθητῶν πρὸς τὸ ἴσως. & dubitantes illud forsitan semper addunt. Si Horatius, ut putat Acron, spem diutius uiuendi innueret, clarius hoc indicasset: neque enim me latet illud Ciceronis in Catone, nemo est tam senex, qui se annum non speret posse uiuere. **AVIDVS FVTVRI.** scire cupiens, quæ futura sunt. unde Ianum ueteres tricipitem finxerunt, quia præterita, præsentia, & futura considerabat, & erat uir circumspæctus, ut ingeniose Alciatus in suis emblematis scripsit. Ioui etiam tres oculi dabantur, ut Pausanias in Archadicis obseruauit. **DIFFICILIS, QUERVLVS.** morosus, & semper dolens. Aristoteles, καὶ ἀλάλιτοι μάλλον, ἢ δει. & supra modum queruli. **LAUDATOR TEMPORIS ACTI SE PVERO.** laudans ea tempora, quibus puer uixit, non quibus senex, nam præsentia tempora corrupta esse dicit. Cicero etiam sæpe sic exclamat, ut pro Deiotaro. ò tempora, ò mores. talis Nestor est apud Homerum. causam reddit Cicero in Catone, quòd memoria senes potius, quàm spe sustentantur. **CENSOR.** semper censet, & castigat iuniorum mores. censor autem, idest quasi censor: scimus enim censores fuisse terribiles, & difficiles. ut pro Cluentio Cicero copiose docuit. C. Fabritius censor senatu mouit P. Cornelium Ruffinum, quòd in conuiuio habuisset decem libras argenti. Fenestella libro secundo. multa præclare de censorum seueritate Plutarchus in uita Catonis censorij explicuit.

XXVII.

Multa ferunt anni uenientes commoda secum,
 Multa recedentes adimunt, ne forte seniles
 Mandentur iuueni partes, pueroq; uiriles,
 Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis!

ANNI VENIENTES. annos uenientes uocat eos, quibus corroboramur, & confirmamur: recedentes, quibus in ætatem ingrauescentem uergimus. ἀκμή dicitur ætas robustior, post quam debilitamur, quod frugibus etiam tribuit Thucydides libro tertio, ἀμα τῷ σίτῳ ἀκμώζοντι ἐστὶ τὸ ἄνωγόν, de Peloponnesiis loquens, qui atticum agrum inuaserunt. qui sint anni uenientes, & recedentes, supra docuimus ex Aristotele, in illum uersum, Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis. **NE**

IN POETICEN HORATII

FORTE SENILES. uide, inquit Horatius, ne hæc, quæ dixi esse in senibus, tu adolescentibus tribuas, ne ue pueris, quæ sunt uirorum. Hic dicet quispiam: si recte hoc ab Horatio præcipitur, sine dubio Sophocles in Philoetete hallucinatus est, qui Neoptolemo adolescenti partes seniles, & uiriles tribuit, abhorrentem illum ab omni scelere effingens, cui nihil sit honesto antiquius, nihil æquitate illustrius. nam Ulyssi callide hortanti, ut mendacio Philoetetem falleret, ut ab insula Lemno ad Troiam auehi posset, sic respondit, ἔφω γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης περὶ σεν κακῆς. insitum mihi à natura est, ut nihil dolo malo agere uelim. responde, aliud esse bonum adolescentem effingere, aliud in adolescente partes seniles, & uiriles exprimere: licet enim adolescentes prudentes facere, modo ea, quæ in ijs elucet prudentia, non sit supra captum ætatis. unde Aristoteles libro septimo de moribus ad Nicomachum, Neoptolemium hunc Sophoclis uehementer laudat, ἐποιετὸς γὰρ οὐκ ἐμυλίων οἷς ἐπέειπεν ἄπο τῆς ὀδυσεύως, ἀλλὰ τὸ λυπεῖσθαι ἄσδυμνος. amplissimis uerbis laudandus est, quòd non potuerit ab Ulysse persuaderi, quia mentiri doleret. **IN ADIUNCTIS.** in iis moribus, qui unicuique ætati sunt adiuncti, quos ipse Horatius hic, & Aristoteles in rhetoricis explicauerunt. **ÆUO APTIS.** in rebus morabimur, et insistemus, quæ ætati conueniant. æuum hic Horatius pro ætate usurpauit. licet æuum ad res sempiternas referatur, non ad mortales: ut ait Aristoteles libro primo de cælo. καὶ τὸν αἰῶνα δὲ λόγον, καὶ τὸ τῆς παντὸς οὐρανοῦ τέλος, καὶ τὸ τὸν πάντα ἀπειρον χρόνον, καὶ τὴν ἀπειρίαν πᾶσι μετὰ τὸ τέλος αἰῶν ὄντων, ἀπὸ τῆς αἰεὶ εἶναι εἰληφώς τὴν ἐπινομίαν, ἀθάνατος, καὶ θεῖος. hac ipsa ratione & uniuersi cæli finis, & infinitum tempus, et ipsam infinitam uniuersitatem comprehendens finis æuum est, inde nomen sumens, quòd semper sit immortale & diuinum. Virgilius proprie dixit libro decimo Aeneid. ubi de nymphis maris. Et dedit esse deas, æuumq; agitare sub undis.

XXVIII.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
 Segnius irritant animos demissa per aurem,
 Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
 Ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
 Digna geri promes in scenam, multaq; tolles
 Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens,
 Nec pueros coram populo Medea trucidet,
 Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
 Aut in auem Progne uertatur, Cadmus in anguem.
 Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Non sunt omnia in scenis tragicis, & aliis representanda, atque oculis subiicienda: multa sunt narranda tantum, quæ scilicet incredibilia indicabuntur, si quis ea representarit. Medea igitur trucidasse filios dicetur, in scena nemo simulet Medæ personæ

nam sustinens se eos necare, quia perspicuum erit mendacium, &c. hoc seruat Euripides in sua Medea. Sophocles in Aiace non inducit Aiace se palam necantem, sed dissipatum rumore ait de nece eius uoluntaria. idem Clytemnestram in Electra clamare facit, cum eam Orestes uulneribus conficit, ut longissime exaudiatur. ubi interpretis rem perpendit, ἔτος δ' ἔχουσι τὰ γεγονότα εἴδον ἀπαρτὲς ἅδι τοῖς ἔξω οἱ ἄγγελοι, in more positum est, ut intus gesta nuncii foras nuncient. quod hic non fecisse Sophoclem ait, quia εὐαγγέλιον τὸ πρῶτον γίνετο, ἢ δὲ ἀπὸ μου σηματομένον. clarius res explicatur, quàm si a nuncio referatur. Aristoteles in sua poetice præceptum hoc non prætermisit, ὅτι μὲν οὐκ ἐφοβόρον, καὶ ἐλεεινὸν ἐκ τῆς ὀψέως γίνεσθαι, ἔστι δὲ καὶ ἰσχυρῶς τῆς συστάσεως τῆς πρῶτης, ὅτι περὶ τὸν, καὶ ποιητῶν ἀμείνωνος. terribile uero illud, & miserabile cum ab apparatu scenæ proficiscitur, tum à rerum compositione, quod est multo præstantius, & peritioris poetæ. ACTA REFERTUR. dicitur à nunciis esse intus acta, ut obseruauimus ex interprete Sophoclis. SEGNIVS IRRITANT. demissa per aurem, idest audita, quia anima sentit per quinque sensus tanquam fenestras, ut docuit Cicero libro primo questionum Tusculanarum. Segnius irritant, minus mouent, quàm quæ ipsis oculis intuemur. Cicero in epistola ad Curium libro septimo familiarium. quanquam hæc etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quàm uidere. Aristoteles in libro de sensu, & sensili. πρὸς μὲν τὰ ἀναγκαῖα κρείστων ἢ ὀφθαλμοῖς, πρὸς δὲ νοῦν καὶ τὰ συμβεβηκὸς ἢ ἀκὴ. ad ea, quæ necessaria sunt, uisus præstat, ad mentem uero, idest ad disciplinas, & animi ornamenta comparanda auditus præstantior per accidens est: καὶ τὰ συμβεβηκὸς δὲ, ἰσχυρῶς ὀνομάτων καὶ σύνθετον, per accidens autem, quia ex nominibus constat, & ex oratione pendet. OCVLIS SVBIECTA FIDELIBVS. idest, quæ uidentur, oculi tamen & ipsi, si res interuallo remota sit, falluntur, ut docet etiam Aristoteles libro tertio de cælo, exemplo stellarum, quæ scintillare uidentur, & non scintillant: quare oculo non animam similem facit libro secundo de anima, sed corpus; animam uidendi uirtuti, quæ oculo inest. SPECTATOR. spectator ipse sibi tradit, quæ ipse uidet. nam quæ audit, ei ab alio traduntur. est autem spectator, qui iudicat uim poetarum, & oratorum, ut laudet tantum, uel uituperet: qui sedet de futuris iudex, Senator est; qui de præteritis, propriè iudex dicitur. nam Quintilianus libro tertio sic inquit: qui uero defendunt, tria faciunt genera auditorum, unum quod ad delectationem conueniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de causis iudicet. quæ sumpta sunt ex libro primo rhetor. Aristotelis, ubi inter alia, hæc uerba leguntur, ὁ δὲ πρὸς τῆς δυνάμεως ὁ δὲ ὁρῶν, qui de uirtutum oratorum iudicat, spectator est. INTVS DIGNA GERI. γεγονότα εἴδον. intus facta etiam Sophoclis interpretis dicit. intus autem fiunt, quæ in conspectu hominum non aguntur, sed intus esse acta dicuntur. PROMES IN SCENAM. eis ὀφθαλμοῖς, ut ait Aristoteles, in conspectum. FACVN DIA PRAESENS. absit, inquit, res ipsa ex oculis: adsit, qui recitet: Interpretis So

In Poet. 78.

IN POETICEN HORATII

phoclis in suis scholiis, τὸ μὲν φορτικὸν τῆς ὄψεως ἀπέστη, ἔδ' ἐν ἀργίῃ οὐδὲν ἦσαν
καὶ δὲ τῆς βοῆς ἐπεγματούχου, idest molestia uisus abfuit, cum Clytemnestra ab
Oreste trucidaretur: rei autem claritas nihilominus per uocem confecta est. hæc in scho
liis Electræ. **MEDEA.** errauit igitur Seneca, apud quem Medea filios spectantibus
omnibus trucidat: filios autem, quos illa ex Iasone progenuerat, a quo despecta, ut iniu
riam illam ulcisceretur, filios crudeliter necauit. **ATREVS.** supra. ibi coena
Thyestæ. **IN AUEM PROGNE.** quæ Ityn filium Tereo marito comedendum
apposuit, quod ille Philomelam sororem uitiarat. Ouidius, libro quarto georg. Virgi
lius sic. Et manibus Progne pectus signata cruentis. Thucydides libro secundo retulit
in historia hanc fabulam. καὶ ἔδ' ἔχον ἔδ' ἔδ' τὸν ἴτυν αἱ γυναῖκες ἐν τῇ γῆ Τερέῃ ἐ
πέξαυ. πολλοῖς δὲ καὶ τῶ ποιητῶ ἐν ἀνδρόνος μνήμῃ Δαυλιάς ἡ ὄρνις ἐπωνόμα
σαι. Ἔ facinus in Ityn mulieres in hac terra commiserunt: a multis autem poetis,
ubi de Luscinia mentio est, Daulias auis nominata est. Progne igitur insequente Te
reo in auem Dauliam, idest in hirundinem, ut alii in Lusciniam uersa est. Sophocles
tragædiam Tereum, ut est author Aristoteles in poetice, scripsit, sed non palam in sce
na Prognem in auem uertit. ut faciendum hic Horatius docet. **CADMVS IN
ANGVEM.** post conditas Thebas, laceratum a canibus nepotem Actæonem, aliasq;
calamitates exceptas, Cadmus cum uxore in serpentem mutatus abiit. ut Ouidius in
libris τῶ μεταμορφώσεων narrat. Ἔ ego apud illustrissimum Aloysium Cornelium
Cardinalem in aulæis pulcherrime rem totam expressam uidi, in uilla Polysolo, quæ est
in agro Patauino, ubi multos menses cum doctiss. Ἔ nobiliss. Federico Cornelio Cardi
nalis fratre, quem honoris causa nomino, in studijs consumpsi. **INCREDVLVS
ODI.** non solum credo, sed etiam odio habeo, quæ mihi audes oculis subiicere, cum
falsa prorsus, Ἔ ficta sint, quia me credulum, ac stolidum censes. quibus uitiis qui
laborant homines, passim iridentur, ac decipiuntur. Aristoteles libro secundo rheto
ricorum, καὶ εἴς μὴ ὀλαβεῖς μὴ δὲ φυλακτικὸς, ἀλλὰ πιστατικὸς, ἐάδιον ἔδ
πάντας λαθεῖν. Ἔ non cautos, nec res suas diligenter custodientes: hos enim omnes
facile est decipere, Ἔ circumscribere. Suetonius in Claudio cap. trigesimo septimo de eius
credulitate sic. Vnus ex litigatoribus seducto in salutatione affirmavit, se uidisse per
quietem occidi eum a quodam, deinde paulo post, quasi percussorem agnosceret, libel
lum tradentem aduersarium suum demonstrauit, confestimq; is pro deprehenso ad pœ
nam raptus est. Ἔc. quia igitur turpe est credulitate peccare, odimus eos, qui per
spicuis nos mendaciis aggrediuntur, Ἔ quasi stolidos circumuenire conantur. huc igitur
spectant uerba illa, incredulus odi.

XXIX.

Ne'ue minor quinto, neu sit productior arctu
Fabula, quæ posci uult, & spectata reponi.

Agitur hic de quantitate fabulæ, quæ nec pauciores, nec plures quàm quinque

aētus debet habere. Aristoteles in poetice iustam magnitudinem fabulae inesse debere exemplo, & similitudine animalis probat. nam si sit animal πᾶμικρον, idest ualde exiguum, pulchrum non uidebitur, quia rem minimam, minimo temporis spatio percipere, & perpendere non possumus. quod si animal sit πᾶμμέγεις, idest admodum grande, & uastum, contemplatio distrahetur, & res ipsa comprehendi animo non poterit. tum sic concludit. ὡς τε δὲ καὶ τὰ πρὸς τῷ σώματι, καὶ τῷ ζῳῶν ἔχειν μὲν μέγεθος, αἷμα δὲ δὲ σώματος εἶναι, οὕτω καὶ τῷ μὲν θῶν ἔχειν μὲν μήκος, αἷμα δὲ δὲ μνημόνῳ εἶναι τῷ μήκει. quare, ut in corporibus, & animalibus magnitudinem esse oportet, quæ tamen oculis comprehendi possit, sic & in fabulis longitudinem, quæ memoria teneri queat. **PRODVCTIOR.** longior, tragædias unius diei circuitu solitas recitari, epopæias uero multo maiore temporis intervallo refert in poetice Aristoteles. nam de tragædia loquens sic ait. περιᾶται ὑπὸ μίαν περιόδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἄλλα μᾶλλον, tragædiae intra unius solis, uel paulo plus minus ue, periodum actio est. quibus uerbis diem artificialem intelligi ab Aristotele, doctissime ibi Robortellus demonstrat. **QUAE POSCI VULT, ET SPECTATA REPONI.** quæ uult posci à populo Romano, & non reponi, idest deponi, nisi spectata: populus enim aliquando reponebat non spectatas, quas non probabat. Horatius libro secundo in epistola ad Augustum:

Si discordet eques, media inter carmina poscunt,
Aut Vrsum, aut pugiles, his nam plebecula gaudet,
Verum equitis quoque iam migravit ab aure uoluptas
Omnis ad incertos oculos, & gaudia uana.

Vel spectata reponebatur fabula in bibliothecis publicis, ut optima, & digna, quæ in manibus omnium uersaretur. Horatius libro primo in epistola ad Iulium Florum.

Quid mihi Celsus agit monitus, multumq; monendus
Priuatas ut quærat opes, & tangere uitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Per Apollinem Palatinum bibliothecas intelligit, quæ erant ad ædem Palatini Apollinis. Acron legit, & spectanda reponi, ut sit sensus, & reponi spectanda, ut denuo agatur. cuius sententiam magis probarem, si reposci legeretur, non reponi, ut in codice Peregrini Aluernij doctissimi amici mei scriptum reperi. nam denuo fabulas reposci solitas uel Demosthenes probat de falsa legatione. ἀνελθόντω δὲ σοφοκλῆες πολῶν μὲν θεόδοτος, πῶν δὲ ἀριστόδημος ἕπο κέρριται.

XXX.

Nec deus interfit, nisi dignus uindice nodus
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret.

Duobus hisce carminibus duo præcepta traduntur uberrima, de non temere inducendo aliquo numine, & de apto loquentium personarum numero, qui ternarium ex-

cedere non debet. deum inducunt poetae descendentes ex machina sublata quasi coelitus, qui res perplexas explicet, atque inuolutam fabulam euoluat. M. Tullius libro primo de natura deorum sic inquit: quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non uideris, ut tragici poetae cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum, cuius operam profecto non desideraretis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum uideretis. Aristoteles in poetice, ἀλλὰ μηχανὴ χρησιμὸν ἢ τὰ ἔξω τῆς δράματός, ἢ ὅσα πρὸ τῆς γίγνεσθαι, ἀδύνατον τε ἀνθρώπων εἶδέναι, ἢ ὅσα ὑπόρου, ἀδύνατον περὶ ἀπορροίας, καὶ ἀγγελίας. ἀπαντα γὰρ ἀπὸ δίδουμι τοῖς θεοῖς ὁραῖν. machina utendum in ijs, quæ extra tragœdiam sunt, quæcunque uel prius fuere, quæ scire homines non possunt, uel quæ futura denunciatione, diuinatione ue indigeant: concedimus enim dijs, ut omnia uideant. Polybius præterea libro tertio historiarum reprehendens historicos, qui Annibali alpes transeunti deum apparuisse uiam indicantem affirmabant, sic inquit, ἵδ' ὧν εἰς ὅπως ἐμπιπῶσιν εἰς τὴν πᾶσι πᾶσι τοῖς ἑσπερίοις. καὶ γὰρ ἐκείνοις πᾶσι αἰ καὶ ἑσπερίοι τῶν δράματων περὶ δίδουμι θεοῦ, καὶ μηχανῆς διὰ τὸ τοῖς πρώτοις ἕσπερίοις ἀδύνατον, καὶ πᾶσι λόγοις λαμβάνειν. unde idem committunt, quod tragici. nam eorum omnium fabulæ ad extremum deo, et machina indigent, quia initio quædam temere, & præter rem finxerunt. machinæ exemplum passim reperies in tragicis græcis, in Oreste Euripidis, ubi Apollo de raptu Helenæ ea aperit, quæ nota non erant, in Electra Euripidis, ubi Castor, & Pollux Theoclymeni futura prædicunt. Aristoteles enim ait deos induci ex machina, ut res præteritas, uel futuras patefacerent. Polybius, et Cicero addunt etiam tertiam causam, ut res perplexas explicarent. unde Sophocles in Philoetete Herculem inducit, qui Philoetetem hortetur, ut ad Troiam pergat, cum id ei Neoptolemus precibus, & Ulysses minis persuadere non potuissent, & iam res desperata esset. VINDICE. qui rem perplexam, & iam desperatam uindictæ, & claritatem recuperet. hinc uindictæ libertatis. Linius libro tertio ubi de Virginia, & Appio Decemuiro. Budæus in Pandectis. NODVS. res perplexa, & obscura. Cicero ad Atticum libro quinto: Cæsari nullus honos à senatu habeatur, dum hic nodus expeditur. uide Erasmus in prouerbio, Nodum soluere. NEC QUARTA LOQUI PERSONA LABORET. tres uult Horatius loqui personas in tragœdia, licet hoc semper à ueteribus non sit obseruatum: quatuor uetat. in Aiace Sophoclis loquuntur Ulysses, Teucer, is qui chorum repræsentat, in Philoetete Neoptolemus, Chorus, Philoetetes, aliquando quarta persona Ulysses adhibetur.

XXXI.

Auctoris partes chorus, officiumq; uirile
 Defendat, neu quid medios intercinat actus,
 Quod non proposito conducatur, & hæreat apte.
 Ille bonis faueatq; , & consilietur amice,

Et regat

Et regat iratos, & amet peccare timentes.

Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem

Iustitiam, legesq; & apertis ocia portis.

Ille tegat commissa, deosq; precetur, & oret,

Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Tragoediæ partes, ut docet in poetice Aristoteles, secundum quantitatem hæ sunt, prologus, episodium, exodus, choricum. non mirum igitur uideri debet, si hoc loco agit Horatius de choro. erat autem duplex chorus, alter quidem tragicus, alter uero comicus. in comico, ut Iulius Pollux libro quarto testatur, personæ sunt quatuor, & uiginti, in tragico quindecim. & chori quidem in respondendo, & alloquendo unus tantum personam sustinebat, ut in poetice Aristoteles refert, cuius uerba breuitatis causa præmittimus. **AUCTORIS.** alij aliter. ego auctoris, idest suasoris exponam: & ut opinor, recte: chorus enim semper fere aliquid suadet, & Cicero auctore pro suasore utitur frequenter, ut de claris oratoribus, dolet nihil tam perpetuam auctoritatem de pace ualuisse: in oratione octaua contra M. Antonium. pater tuus, quo utebar sene auctore adolescens. Parrhasius auctoris legit, idest mimi. sed mimo tam graues, honestaq; partes non tribuuntur. **OFFICIUM VIRILE.** laudabile. uiri dicuntur qui sunt præstantes. alij fæminæ. Virgilius ex Homero, ò uere Phrygiæ: neque enim Phryges. Homerus libro septimo odysseæ, ubi Mineruam in puellam uersam Corcyræ Ulysses interrogat, quæ uia sit ad ædes Alcynoi, & orat ut illa sibi dux esse uia uelit, οὐκ αἰ μοι δὲ μὲν αἰ δῶρος ἡγίσταιο ἄλκιμόου. non mihi ad ædes uiri Alcynoi dux esses? Alcynoum uirum appellauit, idest uirtute excellentem. chorus igitur officium uirile defendet, si, cum alij uarijs perturbationibus agentur, ipse ea suadebit, quæ honesta, et conducibilia esse uidebuntur. **NE V QUID MEDIOS INTERCINAT ACTVS.** nil canat chorus in tragœdia, quod abhorreat à re proposita. chorus autem canebat, ut notum omnibus esse potest. nam in Philoëtete Sophoclis chorus Rhæam hoc cantu extollit.

ὄρεσθ' ἄ παρθεοτῆα

μάτρ' αὐτοῦ διός

ἃ τὸν μέγαν πακτωλὸν δ' ἄχρυσον νεμῆϊς

σὲ κακῆι μάτρ' πόντια ἐπιυδῶμαν.

Montana mater Iouis, quæ magnum auriferum Paetolum incolis, te ibi etiam mater canimus. Aristoteles in poetice de choro, ἐμβόλιμα ἄδουσι. proposito hærentia canunt. & Agathon quidem primus chori cantum instituit. ibidem Aristoteles. πρῶτον ἀρξάτω ἀγὸν Διονὸς τῆς τοιοῦτου. **ILLE BONIS FAVEAT.** in Philoëtete chorus Sophoclis partes Philoëtetæ tuetur, & miseratione eius ducitur, qui olim rex potentissimus solus tunc in antro duriter uitam agebat. Ulysses tamen, & Neoptolemus ei indigne insidias struebant, chorus inquit:

K

quot periorum regi
in dionij

IN POËTICEN HORATII

οικτείρω νιν ἔγω γε ὅπως
 μὴ τὴ κηδομένη βρωτῶ
 μηδὲ σωτῆρον ὄμμα ἔχων,
 δύστανος μῆνος αἰεὶ
 νοσῆι μὲν νότον ἀγρίων.

Huius ego miseratione ducor, qui neminem habet, qui eius curam sustineat, eumq; alat, solus infelix in solitudine semper agresti, & acerba peste discruciat. quod dicit chorus, ut Ulysses, et Neoptolemum Philoetæ conciliet viro optimo. ET CONSILIENTVR AMICE. fideliter consilia afferat, sine fuco, & fallacijs, ut fawit chorus in Electra Sophoclis: illa enim, postquam in mentem ei uenit de obitu patris, miserabiliter conqueri coepit, & suas deplorare querelas, ut eius fletu nihil esset tristius. at uero periculum erat, ne Clytemnestra, & Aegystus, qui Agamemnonem acerrimo odio prosequerentur, cum eam inimicum hominem flere audissent, in eam uehementer indignarentur, eiq; aliqua ratione nocerent. eam igitur chorus monet, ne altissima uoce contendat, ne ue liberius uociferetur.

μηδὲν μέγας αὔσις.

ET REGAT IRATOS. Euripides in Hippolyto obseruauit. cum Theseus peteret à Neptune, ut fugientem Hippolytum excitatis maris monstris perderet; chorus, ut eius iram leniat, ignoscere eum filio debere ait, ut lapsuræ domui consulat. Ἐλάσον σοῖσι βούλῃ σε δόμοις. cogita, quod tuæ familiæ optimum sit. AMET PECCARE TIMENTES. In Philoetete Sophoclis chorus amat Philoetetem, quod uir bonus sit, & officium semper coluerit,

ἀλλ' ἴσος εἰ ἴσους αἰήρ

ὁ λυθ' ὦδ' ἀξίως

Sed iustus & æqui obseruantissimus hic uir sic perijt indignius. ILLE DAPES LAUDET. parsimoniam chorus laudabit, & alia præstabit, quæ subdit Horatius: quæ omnia partes sunt generalis, & late patentis huius præcepti, amet peccare timentes. quanta laus sit sobrietatis & parsimonie, illustri exemplo docet Ammianus Marcellinus libro uigesimalimo, ubi de Iuliano Imperatore his uerbis loquitur. toleranter, & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus, & uilibus oppida forinsecus transibat, incaute, imitatus egregium illud Cyri ueteris dictum, qui cum delatus ad hospitem interrogaretur ab eo, quid ad conuiuium parari deberet, panem responderat solum. sperare enim aiebat se prope riuum cœnaturum. MENSÆ BREVIS. Verrem Cicero septima in eum oratione accusat, quod totos dies conuiuijs traheret. ita, inquit, diei breuitas conuiuijs, noctis longitudo stupris, & flagitijs conterebatur. mensam breuem, idest conuiuium simplex, & breue in odis etiam laudat Horatius.

Persicos odi puer apparatus &c.

& in Satyris.

Modo sit mihi mensa tripes, &

Concha salis puri.

SALVREM IUSTITIAM.

quod corporum est, tribuit iustitiæ. nam corpora dicuntur salubria, coelum salubre. Pindarus ode octava olympiorum servatricem iustitiam urbium uocavit. nam ut salubritas corpora, sic ea urbes tuetur,

εἰ δα σώθερα διὸς ξενίου
πάρειρος ἀσκήτου δέμης,

Hic servatrix, Iouis hospitalis affecla exercetur iustitia. iustitiam Aristoteles ueram uirtutem esse ait in libro quinto de moribus ad Nicomachum, quod alijs profit, & ius suum cuique tribuat, ut stellæ Eous, et Hesperus alijs lucent, οὐθ' ἑσπερος, οὐθ' ἑως οὐ-
πω δωματοῦς. neque Hesperus, neque Eous tam admirabilis, quàm iustitia est. chorus iustitiam laudat in Andromache Euripidis.

μηδὲν δίκασ' ἔξω
κράτος εἰ δα λάμοις
καὶ πόλει δέωαδαι.

Nihil sine iustitia in thalamis, nihil in urbe ualet. LEGES. non contentus iustitia le-
ges etiam nominauit: quia non idem est lex, & iustitia. de iustitia Vlpianus iuriscon-
sultus libro primo Digestorum, titulo primo, lege decima sic. Iustitia est constans, & per-
petua uoluntas ius suum cuique tribuendi. de lege uero Papinianus titulo tertio eiusdem
libri sic. lex est commune præceptum uirorum prudentium consultum, delictorum, quæ
sponte, uel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis reip. sponsio. de legibus chorus
in Oedipo tyranno Sophoclis.

ὦν ὄλυμπος πατὴρ μένος, οὐδὲ νιν
δυνατὰ φύσις αἰδῶν ἐπικτεν. &c.

Quarum coelum pater solum est, neque illas leges mortalis hominum natura peperit.
APERTIS OCIA PORTIS. leges silent inter arma: ut C. Marium dixisse,
testatur Valerius Maximus. ubi igitur leges pollent, ocia sint necesse est: ubi ocia, quies,
& apertæ urbium portæ. nam clausæ portæ urbium inimicitiam, & bellum indicant,
unde Cæsari uenienti Massylienses portas urbis cum clausissent, hostes indicati sunt. Cæ-
sar de bello ciuili libro secundo. in Aiace Sophocles ocia tacite laudat, cum laboris duritiem
ostendi, τὸ νόσ πόνω πόνον φέρει. labor labori laborem affert. Huic Horatiij uersiculo Ver-
gilianus ille libro octauo è regione respondet,

= & moenia clausis

Bellum acuunt portis.

TEGAT COMMISSA. secreta, quæ

sibi ab aliquo communicata sunt, ne publicet. Horatius in epistola ad Torquatum libro
primo, Ne fidos inter amicos Sit qui dicta foras eliminet. chorus in Electra, cum Electræ
consilium audisset, ne res temere tentetur, monet, & rem non uulgat.

εἰ τοῖς τοιούτοις ἔστιν ἡ περμηθία, & quæ sequuntur.

Portia uxor Bruti, cum uirum sibi arcana de nece Cæsaris communicare nolle uidisset,
uerentem, ne forte illa doloris impatiens rem proderet, gladio sibi femur transfixit, ut se

IN POETICEN HORATII

constantem probaret. Dion libro quadragesimo quarto. VT REDEAT MISERIS. ut felicitas amissa miseris reddatur. quod non solum tragici chori faciunt, sed etiam Pindarus ode secunda olympiorum, quæ scripta est ad Theronem Agrigentinum, Iouem alloquens sic precatus est.

ἀλλ' ὦ κρόνιε ποιεῖ ῥαίῃσ'
ἔδος ὀλύμπου νέμων
ἀέθλων τε κερυφάδ'
πόρον τ' ἄλφαιδ'
ἱαμφθεῖς ἀοιδαῖς
δύφρων ἀρούραυ ἐπιπαῖα
Ἴαυ σφίσιν κόμισον.

Iuppiter Saturni, & Rhææ fili, coelum incolens, & Alphæum, ubi certamina fiunt, qui cantus non despicias, patriam his regionem redime.

ABEAT FORTUNA SUPERBIS. Chorus in Electra Sophoclis,

ποῦ πότε κερωνοὶ διὸς, ἢ ποῦ φαέδω
Ἀέλιος, εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες
κρῦππουσιν ἐκῆλοι.

Ubi nam fulmina Iouis, uel lucens sol? si hanc immanitatem Clytemnestræ intuentes cælant? & miseram Electram è tantis malis non eripiunt? nam tum abit fortuna superbis, cum ij poenis uindicantur, quibus digni sunt, & ad calamitatem rediguntur.

XXXII.

Tibia non ut nunc orichalco uincta, tubæq;
Aemula, sed tenuis, simplexq; foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu,
Quò sane populus numerabilis, ut pote paruus,
Et frugi, castusq; uerecundusq; coibat.

Aristoteles in poetice sex in tragœdijs requirit, apparatus, dictionem, musicam, idest, μελοποιίαν, mores, sententiam, fabulam. Hactenus Horatius dictionem, mores ætatum, fabulam, ipso initio, sententiam etiam non uno in loco effinxit, & tractauit. hic aggreditur μελοποιίαν, & musicam, quæ cantum chori consociabat. non pertinet, ut Aristoteles ait, ad artificium poetæ. nam tragœdia etiam sine musica consistere posset. quare hanc partem ἀτελοῦταρον καὶ ἡμισυ οἰκείον τῆς ποιητικῆς uocat, idest minime artificiosam, minimeq; propriam poetices. proderat autem, & adhuc in eo prodest, quòd uersus solutæ orationi similes, numerosiores uideri facit, et magis poeticos. M. Tullius in oratore ad Brutum sic: quorum similia sunt quædam etiam apud nostros, uelut illa in Thyeste, Quem nam te esse dicam? qui tarda in senectute, & quæ sequuntur. quæ, nisi cum tibicen accessit, orationi sunt solutæ simillima. hæc

ille. choris musici adhibebantur: quod in uerbis etiam Demosthenis in oratione contra Midiam perspicuum est, τὸν ἀρχόντα ὑδικληθεὶν ὀνόμασ' τοῖς χοροῖς ἀλυστὰς κελεύει, principem iubet lex choris tibicines decernere, atque adhibere. primum cantus Doricus personabat, mox Phrygius, postremo Lydius, ut auctor Plutarchus est in libro de musica, δωρεῖσι μὲν πρῶτην, Φρυγίῃ δὲ πρῶτον δόξαν, Λυδίῃ δὲ πρῶτον εὐρίτην. licet Aristoteles libro octauo politicorum, tragœdiæ aptiorem mixolydium esse existimet, quia fit ὀδυρετικῶς τῶν ὁδῶν, idest flebilius, licet illi Plutarchus etiam non reclamet. TIBIA. tibijs utebantur in scenis: licet eas damnet Aristoteles libro octauo politicorum: quas abiecit Minerva, quod eas inflantes turpem uultum præ se ferant, καὶ διὰ τὴν ἀσχημοσύνην τῆς περὶ σῶπρον εἰσὶν ποιῆσαι δυσχερεῖα τὸν θεόν. Et propter indecorum uultum indignatam deam hoc fecisse. ORICHALCO VINCTA. orichalcum tibijs addebant, quasi ornamentum, non quod eo duo ligna, ex quibus tibia constabat, uincirentur; ut male nonnulli affirmarunt: stultum enim est existimare, nullum lignum tam grande posse reperiri, ut tibiam conficere possit; et necesse esse, duo ligna coire, ut grandis tibia componatur. ignorare idem uidentur, quid sit uincire, cum duo corpora, non unum uinciri putant. nam eorum argumentum uerbo uinciri tantum nititur. Ciero tamen libro secundo quæst. Tusc. sic inquit: si se lachrymis dedet, uincitur, Et constringatur amicorum custodijs. Lege de his musicis instrumentis libro quarto apud Pollucem. VT NVNC. quibus temporibus imperium Romanum florentissimum est: Roma enim gentibus imperabat uel sub Cæsare, ut est apud Ciceronem libro tertio de officijs. olim, inquit Horatius, cum resp. erat tenuis, tibia non erat ampla, et operosa ut nunc. utebantur autem tibijs dextris, Et sinistris, idest grauibus, Et leuibus, ut Donatus ait. hinc se dicebant transire à tibijs dextris ad sinistras. Cicero in oratione pro Muræna sic. transiit idem iurisconsultus tibicinis latini modo. de Sulpitio loquens, qui Murænam accusans de crimine ad crimen transibat. FORAMINE PAUCCO. olim, inquit, in tibia pauca erant foramina, quia Et ipsa erat pertenuis. Diodorus Thebanus plura addidit foramina, ut Pollux ait, Et fecit tibiam πολλὰ ῥηθῆναι, idest multis locis perforatam, πολλὰ γὰρ ἀπέχεσθαι τῶν πινυμένων τοῖς ὁδοῦς. latas inducens spiritui uias. Dionysius, ubi de choris satyristarum uerba facit, ἀλυστὰς uocat tenues tibias, de quibus hic Horatius, quas exactis regibus Romani adhibebant. malus quidam interpres tibicunculas uertit uerbo non latino, sed ridiculo, atque infacetito. nam si Iouius noster in Eulogijs Cælii Calchagnini inscriptionem libri de quæstionibus epistolicis exagitat, Et sine stomacho non profert, quid nos de tibicunculis, quod uocabulum est longe ineptius, sentiemus? cum eius auctor sit is, qui omnem operam, et studium in aliena errata colligenda contulit, et unum se ex iis esse profiteatur, quos in Lyside Plato appellat ἀπὸ λαγνῶς. nam si id uerbo non profiteatur, re mihi quidem præstare uidetur. ASPIRARE, ET ADESSE CHORIS. erat quidem tibia tenuis, et simplex, sed tamen illius temporis choris erat utilis, Et satisfaciebat cumulatius. cum aspirare dixit, expressit tibicinem chori cantum consociantem, unde statim est.

IN POETICEN HORATII

illud, et adesse choris: tibicen enim hoc faciebat, ut initio huius contextus ex Cicerone docuimus. aspirare pro iuuare, etiam Ouidius libro primo metamor. usurpauit, dii coeptis, nam uos mutastis & illas, aspirate meis. Gellius libro I. cap. XI. sic inquit. ecce autem pro tibicina laconica tibiae quoque illius concionatoriae in mentem uenit, quam C. Graccho cum populo agenti praesse, ac praemonstrasse modulos ferunt. sed nequaquam sic est, ut a uulgo dicitur, canere tibia solitum, qui pone eum loquentem staret, uarijsq; modis tum demulcere animum, actionemq; eius, tum intendere: quid enim foret ea re ineptius? si ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros, et modos, & frequentamenta quaedam uaria tibicen incineret? sed qui hoc compertius memoriae tradiderunt, stetisse in circumstantibus dicunt, occultius, qui fistula breui sensim grauiusculum sonum inspiraret, ad deprimendum, sedandumq; impetum uocis, & quae sequuntur. uide de hac fistula Gracchi etiam Quintilianum libro primo, cap. de musica, Ciceronem libro tertio de oratore, Valerium Maximum libro octauo. ut igitur Gracchi orationem fistula, sic chori cantum tibicen iuuabat. nam uerbum aspirare lenem tibicinis sonum indicat. **ASPIRARE, ET ADESSE CHORIS.** tibicines non solum tibijs suis personuisse, inquit, sed etiam adesse solitos choris, idest saltasse cum choris. quem morem Aristoteles testatum reliquit in poetice, his uerbis. ἀρμονία μὲν, καὶ ῥυθμοῖς χῶμεναι μένον ἢ τε αὐλητικῆ, καὶ ἡ κινθαρική. harmonia simul, & numero tantum utuntur illae, quae ad tibias, quaeq; ad citharas imitationes spectant. numerum autem pro saltu posuisse Aristotelem, consequentia illa uerba declarant, αὐτῶ δὲ τῶ ῥυθμῶ μιμουμένων ἀρμονίασ οἱ τῶ ὀρχηστῶν. numero uero ipso sine harmonia imitantur saltatores. **NONDUM SPISSA NIMIS.** erat olim tibia idonea, licet parua, ad personandum ita, ut passim exaudiretur, quamuis tunc sedilia, & loca, ubi fabulae recitabantur, spissiora non essent, quod frequentes auditores non conuenirent. uenit nunc mihi in mentem, quod scribit Athenaeus libro octauo de Stratonico. διδάσκειν ἤ κινθαρίας, ἐπειδὴ ἐν τῶ διδασκαλείῳ εἶχεν ἐνέα μὲν εἰκόνασ τῶ μουσῶν, τὴ δ' ἀπόλλωνος μίαν, μαθητὰς δὲ δύο, πινθανομλίου πινός, πόσιω ἔχοι μαθητὰς, ἔφη σὺ τοῖς θεοῖς δώδεκα. citharistas docens, cum in ludo nouem haberet Musarum imagines, Apollinis unam, discipulos uero duos, & ex eo quispiam sciscitaretur, quot discipulos haberet, cum deis, inquit, duodecim. huius nimirum sedilia spissiora non erant. **NUMERABILIS, UT POTE PARVVS.** nam quae parua, & pauca sunt, facile numerantur. unde Ouidius, pauperis est, numerare pecus. Plato in Philebo, de finito, & infinito agens, ὅτι ἡ τῶ πρὸς ἑνὶ ἀπείρου πλάττει, πειράσομαι φράζειν. quod quodam modo infinitum multa facit, dicere conabor. **ET FRUGI.** bonus. laus eius, qui non magnas opes, & copias habuit, ut ueteris illius populi Romani. Cicero pro Deiotaro sic. omnes sunt in illo regiae uirtutes, quod te Caesar ignorare non arbitror, sed praecipue singularis, & admirabilis frugalitas: & si hoc uerbo scio laudari reges non solere. frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege: fortem, iustum, seuerum, grauem,

magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regie laudes, illa priuata est. CASTVSQVE, VERECVNDVSQVE. hoc inquit propter foeminas, quæ in theatrum, ut fabulas audirent, ueniebant. Cicero libro primo quaestionum Tusculanarum sic: frequens enim confessus theatri, in quo sunt mulierculæ, & pueri, mouetur audiens tam grande carmen, &c. quò tamen ut se conferre possent, ægre à maritis impetrabant, ut Caius iurisc. innuit libro uigesimoquarto Digestorum, tit. primo, lege trigesima secunda, sic: Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta est, alia causa donationis. quam dicimus honoris causa, ut ecce si uxor uirolati clauis petendi gratia donet, uel ut equestris ordinis fiat, uel lucorum gratia.

XXIII.

Postquam cœpit agros extendere uictor, & urbem

Latior amplecti murus, uinoq; diurno

Placari genius festis impune diebus,

Accessit numerisq;, modisq; licentia maior.

Indoctus quid enim saperet, liberq; laborum

Rusticus urbano confusus, turpis honesto?

Sic priscae motumq;, & luxuriam addidit arti

Tibicen, traxitq; uagus per pulpita uestem.

Sic etiam fidibus uoces creuere feueris,

Et tulit eloquium insolitum facundia præceps,

Vtiliumq; sagax rerum, & diuina futuri

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

POST QUAM COEPIT AGROS. quemadmodum crescente Romano imperio tragœdiæ comœdiæq; etiam, & musices amplitudo creuerit, hic habemus. Florus libro primo de quatuor ætatibus urbis Romæ sic scribit. Prima ætas sub regibus fuit, prope CCL. annos, quibus circa ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. hæc erit eius infantia. sequens à Bruto, Collatinoq; Coss. in Ap. Claudium, Q. Fuluium Coss. CC. annos patet, quibus Italiam subegit. hoc fuit tempus uiris, armisq; incitatissimum. ideo quis adolescentiam dixerit. dehinc ad Cæsarem Augustum CCL. anni, quibus totum orbem pacauit. hiciam ipsa iuuenta imperij, & quasi quædam robusta maturitas. à Cæsare Augusto in seculum nostrum haud multo minus annis CC. quibus inertia Cæsarium quasi consenuit, atque decoxit. Sed oritur hic quaestio, quam uir doctissimus Iacobus Grifolus excitauit. quo modo maior licentia numeris, & modis accessit, cum Roma cœpit latioribus mœnibus cingi? quod factum est, cum Sabini in urbem, Albani, nonnulliq; alij recepti sunt, ut est apud Liuium libro primo. Si præterea post Græciam tantum deuietam, & post punica bella cœpere Romani Græcos imitari, ut est apud Horatium libro secundo epist. Græci enim primi tragœdias scripserunt, & comœdias. huic quaestioni sic prudenter posse responderi existimarim. Romanos cœ-

IN POETICEN HORATII

pisse quidem Græcos imitari post Græciam deuictam & post Punica bella, cum primum interiores literas attigerunt, & optimam, excellentemq; poetices speciem animo uiderunt, sed tamen priscis etiam temporibus rudes poetas Romæ extitisse, quorum etiam Saturnios numeros quasi Saturni seculo editos Horatius appellat libro secundo epistolarum ad Augustum scribens,

Græcia capta ferum uictorem cepit, & artes
Intulit agrestî Latio. sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & graue uirus
Munditiæ pepulere, sed in longum tamen æuum
Manserunt, hodièq; manent uestigia ruris.
Serus enim Græcis admouit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quærere cepit
Quid Sophocles, & Thespis, & Aeschylus utile ferrent.

His uersibus perspicuum est, priscis etiam urbis temporibus Romæ poetas, rudes tamen & inornatos fuisse. quare ab ijs fabulæ edi potuerunt. sed mihi quispiam hæc Ciceronis uerba obijciat, quæ sunt libro primo quæstionum Tusculanarum. nam cum apud Græcos antiquissimum è doctis sit genus poetarum, siquidem Homerus fuit, & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus. annis fere CCCCX. post Romam conditam, Liuius fabulam dedit App. Clauio Cæci F. M. Tudiciano Coss. &c. Ego uero existimo Ciceronem asserere, Liuium primum fabulam dedisse Romæ ex iis, quorum scripta legi potuerunt. sed alii ante Liuium Andronicum (sic enim illum cognomento Diomedes appellat) poetæ fuerunt, si diligenter uersus Horatii in epistolis à nobis adductos perpendimus, quorum scripta interierant. quid? non ne ibidem Cicero sic inquit? quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum uirtutibus. ergo Romæ priscis etiam temporibus poetæ, & musici fuerunt. nam poetæ erant, quos in epulis cecinisse Cato in Originibus refert. idem Cicero in libro de claris oratoribus sic. utinam extarent illa carmina, quæ multis seculis ante suam ætatem in epulis esse cantata à singulis conuiuis de clarorum uirorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato. LATIOR AMPLECTI MVRVS. Roma sub Romulo quatuor colles comprehendit, Esquilinum, Auentinum, Palatinum, Capitolinum: tres alios complexa est sub Seruio Tullio, Quirinalem, Viminalem, Cælium. unde Virgilius. Septem quæ una sibi muro circumdedit arces. PLACARI GENIUS FESTIS IMPVNE DIEBUS. genio deo operam dabant non sine musica, & carmine. Virgilius libro secundo georg. quiddam simile refert,

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuq; soluto,
Oraq; corticibus sumunt horrenda cauatis,
Et te Bacche uocant per carmina læta, &c.

Placabantur

placabantur dii infensi, qui non prodesse, sed obesse solebant, ut Auerunci, & Robigi. hinc altare Iouis Veionis cum sagittis. de quibus uide apud Gellium. At Genius mitissimus deus non erat placandus. hic igitur placari pro coli positum est. Horatius saepe sic loquitur, ut in odis libro primo.

Et thure, & fidibus iuuat
Placare, & uituli sanguine debito
Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Charis multa sodalibus
Nulli plura tamen diuidit oscula
Quam dulci Lamiae.

Vbi legendus est Acron accuratus in interpretis. Ego autem hic genio dedisse operam, id est uoluptati, ad quam simus propensi, ueteres illos, non interpretor. sic Iason potius alios secutus errantes interpretatus est. erant sacra quaedam, quibus Tellurem, Sylvanumque; aruorum deum, illam porco, hunc lacte, & Genium floribus, ac uino placabant agrestes, quae sacra Horatius hic certe innuit, & in epistola ad Augustum libro secundo epistolarum clarius expressit his uersibus:

Agricolae prisci fortes, paruoque; beati
Condita post frumenta leuantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum socijs operum pueris, & coniuge fida
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & uino Genium memorem breuis aui.

Haec igitur sacra Genij Horatius significat, non uoluptates hominum luxuriose uiuentium, ut credit Iason. nam Horatium hic de sacris Genij loqui illa etiam, quae hoc statim libro leguntur carmina testantur, festis impune diebus. functusque; sacris, & potus, & exlex. VINOQUE DIVRNO. quia mane Genium floribus, & uino agricolae placabant, non noctu, ut adducti Horatij uersus declarant. orgia enim Bacchi noctu fiebant, non sacra Genij. quaecunque igitur Iason hic de duodecim horis diei, & de solido die, & de hora coenandi commemorat, nihil omnino ad hunc locum spectant. singula igitur non confutabimus, ne praeter rem aliquid & nos a proposito Horatii discedentes dicamus. satis est, monuisse hunc Horatii locum non fuisse ab Iasone intellectum. alibi igitur, quando hic locus non patitur, ea omnia refellemus, quae ille de solido die in oden Horatii memoriae prodidit, & nostram opinionem sexcentis argumentis corroborabimus, quam in Parergis testatam reliquimus libro primo, cap. undecimo. IMPVNE. sobrie, sine ebrietate. nam qui bibunt sobrie, impune ferunt: qui uero ita uino incalescunt, ut ebrui discedant, id non faciunt impune, sed uidentur a Baccho uulnerati, quem iccirco ueteres, ut ait Athenaeus, fingeant κερκασφόρον, id est cornutum. de illo Ouidius sic: Pendeat &

IN POETICEN HORATII

mitis cornibus uua tuis . & hæc sobrietas mirifice antiquis illis uiris conuenit , quibus nihil fuit moderatius . unde illud apud Ciceronem de antiquorum hominum integritate . nihil ex omni memoria sumi potest illustrius . & illud , ò tempora , ò mores . quò referri ea omnia possunt , quæ libro primo de diebus , & operibus Hesiodus de antiquis commemorat . loquitur autem hic Horatius de Romanis antiquis , qui uino Genium piabant , ut demonstratum est . ACCESSIT NUMERIS QVE , MODIS QVE LICENTIA MAIOR . ueteres licentius saltare , & tibiis personare cœperunt . per numeros saltationem intelligit eorum , qui in sacris Genii & aliorum deorum psallebant , & saltabant . super etiam citauimus ex Aristotelis poetice ea uerba , αὐτῶ δὲ τῶ εὐθμῶ μῦθον ἔχει ἀρμονίασ' οἱ τῆσ' ὀρχηστῶν . numero uero ipso sine harmonia imitantur saltatores . nec uero omnem saltationem numerus significat , sed peritiorum tantum : quod clarissime colligitur ex his uerbis Ciceronis in Paradoxis . extra numerum si se moueat histrio , exsibilabitur , & explodetur . modus tibiaram sonum indicat , de quo superius plura ex Aristotele , & Plutarcho , ibi , Tibia non ut nunc . etc . apud Græcos Timotheus plures chordas lyræ addidit , cum ea ante ex septem constitisset , ut auctor est in libro de musica Plutarchus . sed illud mihi quærendum uidetur , cur licentia dixit Horatius , quæ in malam partem accipitur ? cur illa carmina addidit statim ?

Indoctus quid enim saperet , liberq; laborum

Rusticus urbano confusus , turpis honesto ?

Quibus rusticum Genio sacra peragentem cum modis , & numeris non sapientem fuisse ait , eumq; excusat , quòd rusticus erat , indoctus &c . responde , iccirco , licentiam accessisse numeris , & modis in sacris Genii , innuere Horatium , et hoc rusticorum crimen excusare , quia per modos licentiores Fescennina carmina plena conuitiis intelligit , quæ in sacris Genij primum exorta sunt , ut hic innuitur , & in epistola ad Augustum libro secundo aperte dicitur , ubi de sacris Genii mentio fit .

Fescennina per hunc inuenta licentia morem

Versibus alternis opprobria rustica fudit , & quæ sequuntur .

Qui mos conuitiandi in comoedia remansit , ut notum est . falluntur , qui credunt ueteres Romanos hic reprehendi , quòd ob ignorantiam rudi musica contenti uenustior rem , & iucundior non curarent . nam Horatius non uenustior rem musicam quæ accessit , fuisse significat , sed uitiosior rem ob iurgia , unde licentiam , & luxuriam ei tribuit , cum inquit ,

Accessit numerisq; , modisq; licentia maior ,

Sic priscae motumq; , & luxuriam addidit arti Tibicen .

Quòd si per licentiam , & luxuriam iucunditatem musicæ indicaret , eius auctorem non appellasset indoctum & rusticum . nam huiusmodi homines rudes esse solent , non elegantiores , ut aperte Cicero in Quintio , & Sex . Roscio duabus nobilissimis orationibus probauit . LIBER LABORVM . quia festis diebus Genio sacra faciebat , ut nuperrime ex Horatio probauimus . & diebus festis rustici labores intermittere solent ,

nisi ea præstent, quæ Virgilius libro primo georg. festis diebus posse confici affirmat.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & iura sinunt. riuos deducere nulla
Religio uetuit, segeti prætere sepe,
Insidias auibus moliri, incendere uepres,
Balantumq; gregem fluuio mersare salubri.

RUSTICVS VRBANO CONFVSVS, TVRPIS HONESTO.
erant enim tribus rusticæ, & urbanæ. Plinius libro decimo octauo sic. rusticæ tribus
laudatissimæ eorum, qui rura haberent, urbanæ uero, in quas transferri ignominia
esset, desidiæ probro. inuenies plura apud Dionysium libro septimo. turpis, et honestus
referuntur ad uitia, & uirtutes animi, ut, rusticus, & urbanus ad fortunæ condi-
tionem. rusticis obiicit uitium temporis: tunc enim rusticæ tribus in numeris, modisq;
non excelebant. rusticum urbano confusum inquit fuisse respiciens Rosciam legem
sui temporis. nam L. Roscius Otho tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis
in theatro quatuordecim gradus, in quibus sederent, ascriberentur, ut scribit Liuius
libro nonagesimo nono. de ea Cicero pro Muræna sic. L. Otho, uir fortis, meus necessa-
rius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam uoluptatem. itaque lex
hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quòd honestissimo ordini cum
splendore fructus quoque incunditatis est restitutus. Horatius libro primo epistolarum
de lege Roscia, Ut propius spectes lachrymosa poemata Puppi, idest tragoedias. MO-
TVM, ET LVXURIEM. motum, idest saltationem ad tibias. Horatius in
epistola ad Villicum, libro primo epist.

= nec meretrix tibicina, cuius

Ad strepitum salias terræ grauis.

Addidit autem motum pro auxit. nam ante etiam saltabant, sed additus motus fuit li-
berior, & indecentior, qualem nemini conuenire uidemus. hic fortasse obiectus Deio-
taro fuit. pro quo sic Cicero in oratione. quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicii
afferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium uidit unquam? et pro Muræna.
saltatorem appellat L. Murænam Cato. maledictum est, si uere obiicitur, uehementis
accusatoris: sin falso, maledici conuiciatoris. idem leges etiam in oratione pro domo.
est quidam motus antiquus, & pudentior, quem principes uiri, & clarissimi summa
grauitate tuentur. hunc non intelligit hic poeta, quia addidit, & luxuriam, quæ
tam ad motum, quàm ad tibiam licentiosem attinet. LVXURIEM. potes etiam
interpretari insolentiam Fescennini carminis, quæ ex luxurie oritur quadam: quæ si
absit, frigemus potius, & moderati sumus. Virgilius libro tertio georg. de lupo agro
qui non prædabatur.

= acrior illum

Cura domat.

PER PVLPIA. libro secundo epi-
stolarum de Plauto. Quàm non astricto percurrat pulpita focco, uagus autem tibi-

M ij

IN POETICEN HORATII

cen traxit uestem per pulpita simul ipse personans, & saltans, ut quidam exponunt, quorum opinio non placet, quia tibicen id præstare non potuisset, præsertim in motu illo acriore, quem ait poeta additum fuisse. ego tibicinem traxisse uagum per pulpita uestem existimo, quia, cum crebræ recitarentur tragœdiæ, & tibicen ad omnes accerseretur, per diuersa pulpita uagabatur. trahebat autem uestem, quam talarem, & longam gerebat, ut grauitatem præ se ferret. **VOCES CREVERE.** tibicines non solum personabant tibijs, & fidibus, sed etiam canebant, dum alij saltabant. Pollux de uocibus, ad quas saltabant. ποῦ μοι τὰ ῥόδα; ποῦ μοι τὰ ἴα; ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα; ubi mihi rosæ? ubi mihi uiolæ? ubi mihi pulchra apia? posuit autem fides pro tibijs, speciem pro specie. sed quo modo fides seueræ erant, si tibicen luxuriam priscae arti addiderat? seueras dixit non præsens tempus, sed præteritum respiciens. et seueras, idest non molles: seueri enim homines mollitiem oderunt. Iason refert hæc ad cantum chori, sed quàm apte ipse uiderit. nos ex Polluce probauimus tibicines etiam cecinisse, non solum personuisse. alteram præterea interpretationem afferimus. hæctenus Horatius de fabulæ incremento circa melodiam, nunc de incremento circa stilum poetarum agit, qui creuit fidibus seueris, idest cum prisca, & seuera melodia, unde statim illud sequitur. **ET TVLIT ELOQVIVM INSOLITVM.** declarat enim quid per uoces intelligat, idest uerba, & dictiones: insolitum autem eloquium, idest nouum, non uitiosum, ut putat Acron. nam antiquum potius uitiosum fuit: tunc enim latina lingua cum inops esset, licuit noua, & insolita uerba excudere, nec tunc locum habebat præceptum Cæsaris, à Quintiliano relatam libro secundo, uerbum insolens, ut scopulum, esse uitandum: non enim hic poeta de lingua latina perfecta loquitur, sed de ea, quæ coeperat excrescere, & locupletari, quod quidam celeriter factum est, quare addit. **FACVNDIA PRAECEPS.** Horatius libro secundo epistolarum ad Augustum scribens populum Romanum mirifico, & acri ingenio ad celeriter perdiscendum fuisse ait, ut eius facundia iure præceps dici possit.

Et placuit sibi natura sublimis, & acer,

Nam spirat tragicum satis, & feliciter audet.

Sic Cicero de oratore libro primo quæstionum Tuscul. at contra oratorem celeriter complexi sumus. & hic poeta populum Romanum extollit, quòd celeriter ingenio docili, et uigilanti didicerit, quæ summa laus est, ut Socrates asseuerat in Carmide Platonis. καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ κίθαρ' εἶναι ταχέως καὶ τὸ παλαίειν ὀξεέως, πλὴν καὶ μίον τῶν ἡσυχῆτε καὶ βραδέως. Citharæ artem celeriter addiscere, & palestram, longe pulchrius est, quàm lente, seroq; . sensum Horatii non elicuit Acron, qui facundiam præcipitem pro ea exponit, quæ cum ingenti impetu fertur, & furibunde, & delphicæ amissa mordacitate similis est. **VTILIVM RERVMSAGAX.** supra docuimus tragœdiam res utiles docere, ubi de choro diximus: hic autem utilitas quæritur honesta, non quam Curio apud Ciceronem libro tertio de officijs quærebat, ubi hæc uerba leguntur: male etiam Curio cum causam Transpadanorum æquam esse dicebat: semper au-

tem addebat, uincat utilitas. DIVINA FUTURI. diuinans futurum. Sophocles in Electra,

ὅταν δὲ τις θεῶν

βλάβῃ, δύναιτο αἶψά, οὐδὲ αἰὶ ἰσχυρῶν φύγειν.

Siquis apud deos offenderit, non, uel si robustior sit, effugiet. hæc sententia de futuro est: quam si quis seruabit, nunquam periclitabitur: & quidem uerissima habenda. nam ut Horatius in odis inquit,

Reum antecedentem insequitur pede pœna claudo.

SORTILEGIS NON DISCREPIT. tragœdiarum sententiæ ita ueræ sunt, ut ab oraculo Apollinis non discrepent. de Delphico oraculo notum est. uide Liuium libro primo, ubi Superbi filii, & Brutus Delphos ad consulendum oraculum profecti sunt, de eo, qui post superbum regnaturus sit. oraculum autem Delphicum, & reliqua omnia ambiguo se responso tuebantur, ut illud apud Ciceronem in libris de diuinatione. Cræsus Halym penetrans magnam peruertet opum uim. expressum scilicet ex Herodoto, κροῖσος ἄλλω διαβὰς μέγαν ἀρχὴν διαλύσει. ignotum est enim, utrum regnum perituum sit Cræsi, an Cyri. ut autem res euenerit, oraculum mendax non reperietur. Parrhasius de philosophis intelligit, quorum ait obscuriora esse dicta Delphicis responsis. cuius quàm ridicula sit opinio, facile omnes iudicabunt; cum hic Horatius ποδὶ τῆς γῶμων uerba faciat: quæ sententiæ in tragicis, ut satis demonstrauimus, occurrunt.

XXVIII.

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eò quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; sacris & potus, & exlex.

Nihil tragœdia tristius est, in qua duo illa, ut est in poetice Aristotelis, exprimuntur, miserabile, & terrificum. ut igitur spectantium animi aliqua iucunditate reficerentur, ac recrearentur, satyros induxerunt qui in tragœdia saltarent, & risus hominum elicerent. eos quidem Sophocles è tragœdia græca eiecit, ut ait Aristoteles, mox iterum à latinis sunt recepti, ut postliminio uenisse uideri possint. Virgilius, qui saltantes eos in tragœdijs latinis conspexerat, hunc uersiculum in Aeglogis habet,

Saltantes satyros imitabitur Alphesibœus.

Quemadmodum tragœdia seueritatem iocis satyrorum temperarit, Demetrius Phaleræus in libro de elocutione his uerbis docet. Τραγωδία δὲ ἕξεται μὲν πρὸς λαμβάνειν καὶ πολλοῖς, ὁ δὲ γέλως ἐχθρὸς Τραγωδίᾳ, οὐδὲ γὰρ ἐπινοήσεται αἰὲν τις Τραγωδίᾳ παύσασθαι. ἐπεὶ σάτυρον γράφει αἰὲν τὴν Τραγωδίᾳ. tragœdia autem in multis rebus gratias, & facetias assumit, & risus quidem tragœdiæ inimicus est: neque enim quisquam apte ludentem, atque hila-

IN POETICEN HORATII

rem tragœdiam conficeret . nam tum satyrum pro tragœdia scribet , & confinget . iccirco autem olim satyri à tragœdia reiecti sunt , ut , eorum ineptiis , & ridicula oratione dimissa , tragœdia grauior uideretur . Aristoteles in poetice sic , διὰ τὸ ἐν σατυρικῷ μεταβαλεῖν , ὅπερ ἀπὸ σαρμῶδου . quia è satyrico euasit , sero grauitatem tandem recepit . sed Sophoclem quispiam reprehendet , quòd omni lepore tragœdiam priuarit , ac rigorem tantum , & tristitiem ei reliquerit , ut nulla ex ea uoluptas capi potuerit . responde , Sophoclem non sustulisse tragœdiæ risum , sed honestiorem fecisse . nam tres histriones induxit , cum unus esset antiquitus , duos Aeschylus instituisse . Aristoteles in poetice , ἑῖς δὲ , καὶ σκλωρογραμμίαν Σοφοκλῆς . tres , & scenæ apparatus Sophocles produxit . **OB HIRCVM VILEM .** Ἰάγρος , idest hircus , tragœdiæ præmium . hinc tragœdia dicta est . uilem uocat hircum uel quia tenue præmium erat tanti poematis , uel ob foetorem . Horatius libro primo epist. nam nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ . miror quosdam putasse , uilem esse hircum poeseos habita ratione , cum tragœdiam in poetice Aristoteles grauissimam rem esse dicat , eamq; epopœiæ anteponat . **CERTAVIT .** poetæ sæpe certatim sua scripta recitabant , ut palmam referrent . horum certamina commissiones appellat Suetonius in Augusto , ubi uetuisse ait Augustum suum nomen in commissionibus celebrari . licet commissiones ex tempore fusa carmina certatim uideri possint . de poetarum certaminibus sic Aristoteles in poetice , ἀγωνίσματα ἢ ποιούντες . &c. inducentes certamina . Agathon in conuiuio Platonis uicerat in certamine , & epinicia , idest conuiuia ob uictoriam statuerat . Socrates loquitur . ἄξις ἢ ἀλὼν διέφυγον τοῖς ὑδινικίοις φοβηθεὶς τὸν ὄχλον . heri eum in epiniciis uitauit , quia turbam , & tumultum ueritus sum . **AGRESTES SATYROS .** erant satyri sileni , & alii dii rustici , qui saltabant . Pollux libro quarto , σατυρικὰ δὲ πρὸς ὧπα σάτυρος πελῖος , σατυρὸς γυνῶν , σάτυρος ἀγλῖδος , σίληνος , &c. satyricæ autem personæ , satyrus canus , satyrus pubes , satyrus impubes , Silenus . de horum saltatione Athenæus libro decimoquarto . ἡ δὲ γυμνοπαιδικὴ πῆμφοδὴς ὅτι τῆ Ἰαγρικῆ ὀρχήσει , ἢ πρὸς ἐμμέλια καλεῖται . nuda exercitatio similis est tragicæ saltationi , quæ emmelia dicitur . de emmelia hac Plato libro tertio de legibus sic , δύο δὲ τῆς ὀρχήσεων τῆς καλῶν εἶδη , τὸ μὲν πελεμικὸν πύργιχον , τὸ δὲ εἰρωικὸν ἐμμέλια ἐπὼνόμασαν , duæ honestarum saltationum species sunt , altera bellica , quam Pyrrhichen , altera pacis propria , quam emmeliam nominarunt . **NVDAVIT .** ut leuius , & commodius saltarent . Sic Luperci nudi per forum excurrebant : quod de M. Antonio Lupercio legitur Philippica secunda apud Ciceronem . **INCOLVMIGRAVITATE .** non supra modum facetus aspersit sales grauitate , quod non efficiunt nimis seueri , ut Crassus , quem Asconius in Verrem ἀγέλασον appellat , quòd nunquam rideret . Aristoteles libro secundo ad Nicomachum de moribus , τὸ δὲ τὸ ἡδὺ τὸ μὲν ἐν παιδιᾷ ὁ μέσος δὲ Ἰάπυλος , καὶ ἡ διάθεσις δὲ Ἰάπυλος . ἡ δὲ ἰσορροπία βωμολοχία , καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν βωμολοχός . ὁ δὲ ἐμείπων ἀγρικὸς τις , καὶ ἡ ἔξις ἀγροικία . in suauitate ioci qui mediocritatem adhibet , facetus est , & dispositio , face-

ta quædam iucunditas : exuperatio autem scurrilitas , & eam habens scurrilis : qui uero deficit , rusticus , & habitus rusticitas nuncupatur . ASPER. primo , & per se asper in tragœdia , mox innatam asperitatem facetiis condiuit . GRATA NOUITATE . nouitas fuit in satyris primum adhibitis , & admissis in tragœdiam . et germanum , uerumq; epitheton nouitati addidit : solet enim ea esse omnibus gratissima . Lucianus in Zeuside suorum scriptorum nouitatem quamplurimos in admirationem adduxisse affirmat , καὶ πάντες αὐτῶν , καὶ τὸ αὐτῶν ἐπισημαίνοντες , πρὸ γὰρ μὴ τῶν συγγραμμάτων ξένων οὐδὲν , καὶ πολλὰ αὐτῆς τὸν νεωτέρισμόν . omnes unum & idem significabant , sententiam scriptorum peregrinam , & multam in ipsa nouitatem . sic etiam in scriptis tragicorum , receptis satyris , nouitas probata est . MORANDVS . detinendus , ut libentissime audiret , spectaret ue . FVNCTVS . in ludis enim publicis , qui diis instituebantur , tragœdiæ recitabantur . POTVS , ET EXLEX . ebrius , & nullas leges colens : ideo autem legum hostis , quia ebrius . quare Pittacus duplici poena ebrios afficiendos esse putauit , tum quòd ebrietate essent correpti , tum etiam quia propter ebrietatem semper tetrum aliquod facinus admittunt . Laertius in Pittaco . Aristoteles libro secundo rhetoricorum . uel exlex , idest ab omni cura , & labore immunis , quod Demosthenes in Leptinem sic expressit . Φήσεται δὲ ἀναξίους ἑνὸς ἀποθρώπου δὲρομείους τέλδαν . dicet indignos quosdam homines immunitatem consecutos . per potum autem intellige , non penitus ebrium , sed ita uino grauatum , ut sine satyris attentus haberi non potuerit , quæ somnum illi excuterent .

XXXV .

Verum ita riores , ita commendare dicaces
 Conueniet satyros , ita uertere feria ludo ,
 Ne quicumque deus , quicumque adhibebitur heros
 Regali conspectus in auro nuper , & ostro ,
 Migret in obscuras humili sermone tabernas ,
 Aut , dum uitat humum , nubes , & inania capret .
 Effutire leues indigna tragœdia uersus ,
 Ut festis matrona moueri iussa diebus
 Intererit satyris paulum pudibunda proteruis .

Causam , qua satyros in tragœdiam ueteres poetæ inuexerint , superiore contextu poeta explicuit . nunc quo modo , quo ue decoro inducendi satyri sint , diligenter nos admonet . nam qui tragœdiam scribet , nec nimium ut satyricus se submittet , nec nimium ut tragicus se attollet . RISORES . satyri riores sunt , quòd aptissimi sint ad risum apud spectatores concitandum , & quia cum risu hominum uitia incessunt , & exagitant . Quintilianus libro sexto , cap. de ridiculis sic . dicacitas sine dubio à dicendo , quod omni generi commune , dicta est , proprie tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem . & re uera cum aliquem carpimus , alicuius ue aucto-

IN POETICEN HORATII

ritatem contemnimus, semper fere videmus, ut apud Platonem in Euthydemo, Socratem irrident Euthydemus, & Dionysodorus, quod ab illo militaris artis præcipue periti essent iudicati. ἐγλασάτην οὖν ἄμφω βλέψαντες εἰς ἀλλήλους. ambo riserunt se mutuo spectantes. adduximus testes Quintilianum, et Platonem, sed res ipsa loquitur: omnis enim grammaticus docuit, risorem esse, & qui risum cieat, & eum, qui ipse rideat. DICACES. facetos. Cicero libro secundo de oratore duo genera facetiarum ponit, cauillationem, & dicacitatem, cauillationemq; esse interpretatur, dispersas per totam orationem facetias, dicacitatem uero breuem, & astutam, quæ ideo dictum uocetur. ITA VERTERE SERIA LVDO. ita conueniet tragoediam, poema serium, et graue, ludo, idest iocis satyricis commiscere, ut præclarissimus consensus fiat. quod Plato in sophista sic expressit. πάντα εἰς ταῦτὸν συνάσωμεν, ὡς δὲ αὐτὰ ἐπικοινωνεῖν ἀλλήλοις. omnia misceamus, quæ possint sibi mutuo prodesse. NE QVICVNQVE DEVS. sensus est, ne qui in tragoedia deum, aut heroa repræsentarit, in satyra migret in tabernas obscuras, idest satyrorum personam induat, qui humiles dei in humilibus tabernis uersari solent, ut dii, heroesq; in auro, & ostro. non enim graues personæ in satyricas ineptias sunt induendæ. hinc non absimili ratione Cicero Scæuolam, grauissimum, & clarissimum libris II. & III. de oratore loquentem, aut præsentem non adhibuit, ubi de rebus tanto uiro dignis non agebat, imitatus Platonem idem in Socrate seruantem, ut in epistolis ad Atticum scriptum reliquit. HEROS. uir grauis. heros uere semideum significat. Plutarchus in libro de oraculis. ex Hesiodo sic, ἕξ ἑθνεσσὶ τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη θεῶν, εἴτα δαίμονας πολλοὺς, καὶ γάρθου, εἴτα ἥρωας, εἴτα αἰθρώπιω, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀκριβοῦντων. exposuit Hesiodus eorum, qui ratione utuntur, quatuor genera, deos, deinde dæmonas multos, & bonos, mox heroads, postremo homines, semideis in heroas coniectis. rectissime igitur noster Flamminius semideum, idest heroa, Paulum III. Pontificem maximum, appellat in elegia, in qua de Alexandro Farnesio Cardinale sic inquit.

Progenies claris edita semideis.

Dionysius libro primo historiarum, ubi de Ilia ex Marte grauida scribit, sic de heroibus sentit. καὶ μεταξὺ τῶν θεῶν, καὶ τῶν ἀνθρώπων γένος ὑπὸ χούρης φύσεως, ὡς δὲ δαίμόνων φύλον ἐπέχει, ὅτε μὲν αἰθρώπιω, ὅτε δὲ θεοῖς, ἕξ μὲν γένος ἥρωον φύσει γένος. & cum media quædam inter diuinum atque humanum genus natura sit, quam dæmones sustinent, et hominibus, et deis mixtum heroum ortum esse genus. NVPER. cum in tragoedia aureis, et purpureis uestibus paulo ante fulsisset, tanquam rex quidam. IN OBSCVRAS TABERNAS. quid regibus cum tabernis? quæ erant pauperum. Horatius in odis libro primo.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,

Regumq; turres.

Vel intellige tabernarias comoedias ex

personis obscuris, & plane tabernarijs, ut Grifolus docte ante me obseruauit, licet ego sicutiam

interpretor, non esse præstantem personam in satyros, & Silenos bibaces inducendam, ut eos etiam repræsentet. nam hi dii bibaces cum sint, uinaria taberna delectari uidentur. Virgilius de Sileno.

Chromis, & Mnasyllus in antro

Silenum pueri somno uidere iacentem,

Inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho.

Tabernas igitur uinarias Horatius innuit, in quibus liberi, & ingenui homines non uersabantur. Halicarnassensis libro nono, οὐδὲν γὰρ ἰσχυρῶς ἐρωμαίων οὐτε καὶ πηλοῦ, οὐτε χειροτέχνων βίον ἔχειν. nemini Romano licebat popinam, & mechanicam uitam exercere. idem de Atheniensibus affirmat Isocrates in Areopagitico, ἐν καπηλείῳ δὲ φαγεῖν, ἢ πιεῖν οὐδεὶς οὐδ' αὖ οἰκέτης ἐπιεικῆς ἐτόλμησε. in popina uero edere, aut bibere nemo nec seruus quidem frugi ausus est. HUMILI SERMONE. cum oratione, quæ non grauius tractet, qualis agrestibus Satyris tribuitur. at dixerit quispiam, inducam grauioribus personas, illustrioresq; quæ inter satyros quidem uersentur, sed tragice, & grauius dicant. his respondendum est, grauitatem sermonis satyros non decere, seruandum igitur esse in personis decorum. nam in Euthydemo Platonis non laudatur Euthydemus, qui id non seruauit, cum puero Clyniæ grauissimam quaestionem proposuit, an discant qui sapientes sunt, uel qui indocti. ubi Socrates sic inquit. καὶ εὐμεγέθειον ἄτε μάλου ὄντος τῆς ὁρωπίας ματρὸς ἠεὺθειάσε τε. &c. et puer magnitudine rei propositæ erubuit. DVM VITAT HUMVM. dum tragœdia humile genus uitat, ne se altius, quàm par est, extollat. humum dixit, quia nihil inferius, abiectius ue. Menelaus apud Homerum segnes socios terram uocat, & aquam. Vos, inquit, estis γαῖα, καὶ ὕδωρ. NVBES, ET INANIA CAPTET. altius euolet, ut Icarus fecit. de quo in odis,

Ope Dædalæa

Nititur pennis, uitreo daturus

Nomina ponto.

Iason supra naturalia, & incorporea inuenere hic Horatium affirmat. cum tamen elementa corpora simplicia dicantur, et naturalia. quod Aristoteles libro secundo physicorum sic testatur, τῶν ὄντων τὰ μὲν ἔστι φύσει, τὰ δὲ δι' ἄλλας αἰτίας, φύσει μὲν τὰ τε ζῶα, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν, καὶ τὰ φυτὰ, καὶ τὰ ἀπλᾶ τῶν σωμάτων, οἷον γῆ, καὶ πῦρ, καὶ ἀήρ, καὶ ὕδωρ. τῶντα μὲν γὰρ εἶναι, καὶ τὰ τοιαῦτα φύσει φαμὲν. Eorum, quæ sunt, omnium, quædam natura sunt, quædam alijs causis adscribuntur, natura quidem sunt, animalia, & eorum partes, & plantæ, & simplicia corpora, ut terra, & ignis, & aer, & aqua. hæc enim, & huiusmodi natura contineri dicimus. quare Iason non belle hic philosophatus est. LEVES VERSVS. nam proxime dictum est, nimiam illam tenuitatem, & tabernarium sermonem tragœdiæ non esse congruentem. quini- mo M. Tullius in libro de optimo genere oratorum, in tragœdia inquit comicum uitiosum est. EFFVTIRE. inepte loqui, id fortasse, quod Græci dicunt λαλεῖν. apud

IN POETICEN HORATII

Xenophontem . ἀριστος μὲν γαλῆν, ἀδωότατος δὲ λέγειν . optimus quidem ad effu-
 tiendum , sed ad dicendum longe impar . VT FESTIS MATRONA . ut
 matrona gravitatem in choreis , sic tragœdia in satyris tueatur . festos dies intellige , ut
 Acron sentit , eos , quibus matri Deorum sacra fiebant : tunc enim matronæ saltabant,
 uel , ut soleo ego interpretari , Calendas Martias , qui dies festis mulierum dicatus erat .
 Paulus iurisconsultus libro uigesimo quarto Digestorum , titulo de donationibus inter
 uirum , & uxorem , lege trigesima prima , sic inquit . si uir uxori munus immodicum
 Calendis Martijs , aut natali die dedisset , donatio est . in quem locum lege Budæum in
 Pandectis . PVDIBVND A . tragœdia inter proteruos , & lasciuos satyros erit
 pudibunda , ut matrona , quæ grauis est . nam matronarum proprius pudor est , præ-
 sertim cum inter uiros uersantur . unde foeminis non licebat uel pro se , uel pro alijs
 apud iudices , ullosq; magistratus dicere . uide Valerium Maximum libro octauo , cap.
 tertio , Vlpianum iurisconsultum libro tertio Digestorum , titulo de postulando , le-
 ge prima .

XXXVI.

Non ego inornata , & dominantia nomina solum
 Verbaq; Pisones satyrorum scriptor amabo ,
 Nec sic enitar tragico differre colori ,
 Ut nihil intersit , Dauus ne loquatur , an audax
 Pythias emuncto lucrata Simone talentum ,
 An custos , famulusq; dei Silenus alumni .

Supra comoediam , et tragœdiam distinxit . nunc satyram ab illis separat : primum
 autem de elocutione satyrica agit . INORNATA , ET DOMINANTIA .
 Acron , & Iason inornata pro humilibus , & rusticis exponunt , dominantia Acron
 pro significantibus , & proprijs , Iason pro grauibus . quid alij etiam sentiant , unus-
 quisque uidere potest . me iudice hic sensus est Horatij . satyricus non id curare tantum
 debet , ut proprijs uerbis utatur . nam etiam translata satyræ conueniunt . paulo in-
 fra clarior est hæc sententia , ubi simplicem , et uulgarem esse uult Horatius satyricam
 inuentionem , sed elocutione ita perpoliri , ut non quiuis possit eam commode tractare .

Ex noto fictum carmen sequar , ut sibi quiuis
 Speret idem , sudet multum , frustra q; laboret
 Ausus idem : tantum series , iuncturaq; pollet .

Sunt igitur inornata , & dominantia , quæ propria etiam dicuntur . nam propria oras-
 tionem perspicuam reddunt , translata uero ornatam , ut ait Aristoteles , propria non
 ornant . ergo inornata uideri iure optimo possunt . Aristotelis uerba sunt libro tertio
 rhetor . τὸ δὲ ὀνομάτων , καὶ ῥημάτων ἄφῃ μὲν ποιεῖ τὰ ἡλιεα , μὴ τὰ πενλω δὲ ,
 ἀλλ' ἂ κεκσρημλιλω τ' ἂ μα ὀνόματα . ex nominibus , et uerbis propria quidem pers-
 picuam efficiunt ; non humilem autem , sed ornatam alia nomina . Dominantia etiam

propria sunt, quòd in sua significatione consistunt, & non transferuntur. ideo dominari, & in suo regno permanere uidentur. Quintilianus libro octauo, cap. de tropis, transfertur ergo nomen, inquit, aut uerbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Madius hic per inornata, & dominantia uerba, communia, & uulgaria interpretatur, non multum à nobis discrepans, & sententiam poetæ eam, quam nos, elicit. nam quod forte, inquit, quispiam putaret, rudem, atque incompositam prorsus esse debere Satyrorum locutionem, id Horatio non placet. NOMINA VERBA QVÆ. utrunque apposuit, quia propositio ex nomine, & uerbo constat, ut docet etiam Aristoteles in libro de interpretatione, & Cicero libro primo quæstionum Tusculanarum his uerbis. an tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur, omne pronunciatum, (sic mihi in præsenria occurrit, ut appellarem axioma, utar post alio, si inuenero melius) id ergo est pronunciatum, quod est uerum, aut falsum. cum igitur dicis, miser M. Crassus, aut hoc dicis, miser est M. Crassus, ut possit iudicari, uerum id, falsum ne sit, aut nihil dicis omnino. quo loco Cicero axioma, non, ut Aristoteles, pro certa, uera, & concessa propositione sumit, sed pro simplici propositione, quæ ex nomine, & uerbo conflata sit, Stoicorum more, ut ex Laertio in Zenone licet intelligere. hospes in sophista Platonis sic inquit. ἄνδρ' ὅζ' ὀνομάτων μὲν μόνων συνεχῶς λεγόμενων οὐκ ἔστι πότε λόγος, οὐδ' αὖ ἐν μόνων χωρὶς ὀνομάτων λεγόμενων. Igitur non ex nominibus tantum, nec ex uerbis sine nominibus prolatis oratio conficitur. SATYRORVM SCRIPTOR. si ego satyras in tragœdia scriberem. TRAGICO DIFFERRE COLORI. non sic, inquit, contendam differre à tragœdia, ut à comœdia etiam non differam, sed ab utraque discrepare enitar. de colore supra diximus, contextu undecimo ibi, Descriptas seruare uices, operumq; colores &c. adhuc enim Horatius agit de genere sermonis satyrici, non de inuentione, ut alii arbitrantur, de qua est in sequentibus uersibus, ibi, Ex noto fictum carmen &c. DAUUS NE. Dauus, Pythias, Simo, personæ comicæ sunt, Silenus satyrica. alia comicis, alia satyricis uerborum ratio comparanda est. nam dissimiles personæ eodem orationis genere uti non debent. EMVNCTO. deluso, ablato ei talento. naso enim suspendere, & deludere solemus. hinc apud Martialem rhinocerotis nares habere, pro deludere. hoc innuit hic poeta: quia emungere nasi est. Horatius libro secundo epistolarum.

Prætulerim scriptor delirus, inersq; uideri,
Dum mea delectent mala me, uel denique fallant,

Quàm sapere, & ringi.

Aristoteles tria genera contemptus ponit libro secundo rhetoricorum. ὕψιστος δὲ τῶν εἰδῶν ὀλιτωρίας, καὶ ἀφρόνησις τε, καὶ ἐπιφροσύνη, καὶ ὑβρις. idest, ut victorius etiam uertit, despicientia, &, ut ita loquar, incommodatatio, & contumelia. Horatij locus pertinet ad incommodationem prærepto seni talento. ALVMNI DEI. Bacchi. lege comitatum Bacchi apud Ouidium li-

IN POETICEN HORATII

bro quarto metamor. in quo etiam silenum reperies. CUSTOS, FAMVLVS
 QVE. pædagogus. Plato in Lyside, de pædagogis Menexeni, & Lysidis. πῦρεξι-
 λον, καὶ ἐκέλευον αὐτοὺς οἴκαδε ἀπιεῖναι. ἦδη γὰρ ἡνὸς ἦν. acciuerunt, & ut do-
 mum irent, iusserunt: iam enim ad uesperascebat. hoc est custodis, & famuli officio
 fungi.

XXXVII.

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quiuis
 Speret idem, sudet multum, frustra; laboret,
 Ausus idem. tantum series, iunctura; pollet,
 Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Hætenus de elocutione satyrica, nunc de inuentione præcepta traduntur. quam
 uult Horatius ex noto sumi, idest è uulgo: non autem subtilem, acutam, & exquisi-
 sitam esse: satyri enim cum sint rustici, non sunt callidi, sed simplices potius. at si
 uulgaris eorum sententia uulgaribus etiam uerbis uestiretur, & nullis facibus uerbo-
 rum illuminaretur, nulla præclara dispositione digereretur, nihil esset ineptius. quare
 rudis inuentione satyrica præstanti dispositione, & elocutione adiuuanda est. Ciceronis
 in oratore ad Brutum uerba quædam huic loco Horatii mirifice respondent. ac primum,
 inquit, informandus est ille nobis, quem solum quidam uocant Atticum. summissus
 est, & humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quàm opinione diffe-
 rens: itaque eum qui audiunt, quamuis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se
 posse dicere. nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa uidetur existimanti, sed
 nihil est experienti minus. hæc Cicero. Acron mea quidem sententia hic non recte, sic
 inquit, ex noto fictum carmen sequar, argumenta satyrica ex tragœdijs notis con-
 fingam. neque enim præcipit Horatius inuentionem satyricam sumendam ex notis tra-
 gœdijs, sed ex noto, idest è uulgari, & communi ratione, quæ rudis est. Madius cla-
 rissimus non multum discrepat ab Acrone: sic enim inquit. quòd scilicet in reprimen-
 dis satyris notis quibusdam carminibus, aliqua tamen ex parte immutatis, non nulla
 scilicet demendo, atque in eorum locum satyris congruum aliquod reponendo, nos apte
 uti posse admoneat. Iam uero quid nos sentiamus, expressimus, & nostram senten-
 tiam non solum Ciceronis uerba, quæ adduximus, adiuuant, sed etiam Hermogenes
 corroborat, qui libro secundo de Idæis oratorijs. ubi agit περὶ ἀφελείας, idest de sim-
 plicitate, qualem nos in satyris esse uidemus, sic ait, εὐνοία τῶν εἰσὶν ἀφελείας
 ἀπὸ τῶν μὲν εἰπεῖν αἰ καὶ παλαι. sententiæ simplicitatis sunt simpliciter dicendo pura.
 SEQVARR. probabo, pedibus iens in sententiam eorum poetarum, qui hoc facient.
 tractum enim est à ueteribus, qui pedibus ibant in sententiam. Cicero libro primo fa-
 mil. epist. ij. ad Lentulum de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. ubi Paulus
 Manutius, uir doctissimus, post adductum Ciceronis testimonium ex libro decimo ad
 Plancum, et Hircij ex libro octauo de bello Gallico, sic inquit: sunt autem uerba, qui-

bus, cum discessio facienda esset, minister publicus præibat, cum ita diceret, qui hæc sentitis, ite in hanc partem, qui alia omnia, in illam, &c. SPERET IDEM. quia res perfacilis uidetur. Cicero in oratore. nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem uidetur existimanti, sed nihil est experienti minus. Quintilianus libro quarto: neque enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quam id, quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt. SERIES. dispositio. Cicero in Bruto. omnia ueniebant Antonio in mentem, eaq; suo quæque loco, ubi plurimum proficere, & ualere possent, ut ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. IUNCTURA. uerborum. ut series rerum, est compositio. Cicero in Bruto. sed tamen Antonius in uerbis et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis, et collocandis, et comprehensione deuinciendis nihil non ad rationem, et tanquam ad artem dirigebat. nec minus clare Quintil. libro nono, cap. ultimo. Iunctura sequitur ea in uerbis, incisus, membris, periodis. omnia nanque ista et uirtutes, et uitia in complexu habent. DE MEDIO. id, quod paulo ante ex noto, idest è uulgari captu, & qualitate. quod hic de satyra, idem de comœdia dixit Horatius libro secundo epistolarum, ad Augustum scribens.

Creditur, ex medio quia res accersit, habere

Sudoris minimum, sed habet comœdia tanto

Plus Veneris, quanto ueniæ minus.

Sic Cicero locutus est in oratore ad Brutum. uerba legenda sunt, potissimum bene sonantia, sed ea, non, ut poetæ, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. satyra autem comœdiæ similior, quam tragœdiæ est: quia comœdia etiam humilis est. supra contextu xij.

Indignatur item priuatis, ac prope socco

Dignis carminibus narrari coena Thyestæ.

Alii his uerbis, de medio sumptis, mediocrem inuentionem significari existimant, quos tamen res ipsa confutat.

XXXVIII.

Siluis deducti caueant me iudice Fauni

Ne uelut innati triuiis, ac pene forenses

Aut nimium teneris iuuenentur uersibus unquam,

Aut immunda crepent, ignominiosaq; dicta,

Offenduntur enim quibus est equus, & pater, & res,

Nec, si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,

Aequis accipiunt animis, donant ue corona.

Inuentionem satyricam uulgarem, et communem in superiore contextu expetendam esse monuit Horatius: sed hoc non sufficit, ut illa præclare paretur. nam uulgus uarie loquitur, aliquando pudorem præ se fert, aliquando turpitudinem, & lasciuos, urbana nosq; mores. ut igitur decorum seruetur, satyri agrestes agresti oratione utantur, non

IN POETICEN HORATII

urbana, & deprauata, qualis in ore populi esse solet. qui rusticis semper corruptior, & callidior est. **FAVNI**. in satyra erant Fauni, Satyri, Sileni, Panes: à satyris tamen nomen sumit. sic Romæ templum Castoris, & Pollucis, à Castore tantum nomen accipiebat. Suetonius in Cæsare. **INNATI TRIVIIS, AC PENE FORENSES**. idest urbani, et immunde loquentes: in urbe enim mores hominum corrupti sunt. quare Marcus Imp. sapientissimus Commodum filium ab urbe dimisit in Pannoniam, quò tamen eum adulescentes reuocarunt, unde turpissimus euasit. Herodianus libro primo. *κόλακες ἄπο μνησκοντες αὐτὸν τῆς ἐν ῥώμῃ ἴουφῆς, διὰ ματα τε, καὶ ἀκροσματα τῶν πνᾶ διηγουμένοι, &c.* adulescentes in memoriam ei redigentes Romanas delicias, spectaculaq; et cantus suaues enarrantes, &c. **IUVENENTVR**. ut iuuenes lasciuiant. quod uitium illius ætatis proprium est. Horatius libro secundo epist. scribens ad Florum.

= ne potum largius æquo

Rideat, ac pulset lasciuia decentius ætas.

Plato in Euthydemo de Ctesippo. *ὕβρις δὲ, διὰ τὸ νέος εἶναι*. contumeliosus autem, quia iuuenis est. **NIMIUM TENERIS**. agrestes enim uersus solent esse non teneri, sed simplices. libro primo epigrammatum Græcorum Mnasilchi poetæ epigramma est, quo fistulam reprehendit, quæ à montibus in urbem uenire ausa sit, ubi inepta uidetur. ubi inter alios hic uersiculus legitur. *ἃ δ' ἀγρία μουσ' ἐν ὄρει νέμεται*. agrestis musa in monte habitat. rationem hic reddit Horatius, quia decenter non potest tenera effingi. **CREPENT**. eloquantur. hinc crepare montes, apud Longolium in epistola ad Bembum libro primo. Horatius in satyris libro secundo.

Siquid Stertinius ueri crepat.

IMMUNDA. obscæna. ne scribenti

satyras poetæ id obijciatur, quod Aeschinem Demostheni obiecisse Theon retulit in progymnasmatibus: *φησὶν αὐτὸν μὴ καθαροῦ εἶναι τὸ σῶμα, μηδὲ ὄθει τῶ φωνῶν περιέτα*. illum inquit ore esse immundo, etiam ea parte, qua uocem emittit. **IGNOMINIOSA**. dum alijs notam inurit infamiae satyrus maledicus. *αἰσχρὸν δ' φθαρτικὸν*. in poetice Aristoteles uocat contumeliam, quæ turpem hominem reddit, in quem maledicta conijciuntur, sed tamen eius corpus non corrumpit. uel ignominiosa, idest ignominia digna, ac plena, ut, qui dicit, infamia ardeat. nam ut in Lachete Platonis inquit Laches ipse, uerba, & uita hominis solent esse inter se congruentia, *διώμνος ἅμα τὸν πλείοντα, καὶ τὰ λεγόμενα, ὅτι πλείοντα ἀλήλοις καὶ ἀρμότιοντα ἔστι*. dicentem simul, & dicta spectans, quòd conueniunt, respondentq; inter se mutuo. **QUIBUS EST EQVVS**. equester ordo, qui à senatorio, & plebeio equo, ut hic apparet, distinguebatur, item annulo à plebe, & sedem in quatuordecim graduum ordinibus separatam habebat, ut poemata commodius audirent. Suetonius in Cæsare sic, Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusq; quingentis sestertijs, & annulo aureo sessum in quatuordecim ex scena per orchestram transiit. **ET PATER**. patritij. patres dicti centum illi, quos in senatum Romulus asciuit: hos

rum filii patritii. Liuius libro primo. ET RES. & res familiaris, & opes. nam senatores, & equites census faciebat, quadringenta sestertia censum implebant eque-
strem. Iuuenalis satyra decimaquarta.

Sume duos equites, fac tertia quadringenta.

Et hoc lege Roscia institutum est. Horatius epistola prima libri primi.

Is ne tibi melius suadet, qui rem facias, rem

si possis recte, si non, quocunque modo rem,

Vt propius spectes lachrymosa poemata Puppi.

Vbi de Roscia lege mentio est. Senatorius census duplex, ab Augusto etiam auctus. Suetonius in Augusto, censum senatorium ampliavit, & pro octingentorum milium summa duodecies sestertium taxauit. FRACTI CICERIS, ET NVCIS EMPTOR. plebs inops gaudebat liberioribus iocis, non ita alii. hæc propter inopiam legumina emebat. Cicero pro Muræna de plebis inopia sic. ipsi denique, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non uocare domum suam possunt, atque hæc a nobis petunt omnia, neque ulla re alia, quæ a nobis consequuntur, nisi opera sua compensari putant posse. tales Romæ capitecensi. Sallustius in Iugurtino bello, de Mario. capitecensos plerosque. id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant. de his etiam Gellius libro decimo quinto, cap. decimo. DONANT VE CORONA. bonos poetas edera coronabant. Virgilius egloga septima. Pastores edera crescentem ornate poetam Arcades. uel non dignos corona putant, & coetu audientium. illud non reticendum uidetur: cum equites equo, patritii patre, equites, senatores re, ut docuimus, significantur, plebs leguminibus, Iasonem plebem intelligere per rei dictionem, quasi uero equites, & senatores rem familiaris rem non habuerint; & qui locupletiores sunt, ut senatores, & equites, non fuerint potius re significandi.

XXXIX.

Sillaba longa breui subiecta uocatur iambus,
Pes citus, unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem,
Tardior ut paulo, grauiorq; ueniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit,
Commodus, & patiens, non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

De elocutione tragica, & comica ut plenius uideatur præcepisse, agit nunc etiam de instrumento elocutionis. nam metrum poetis instrumentum est elocutionis: in tragicis autem, & comicis metris plurimi iambi reperiuntur, & spondei. igitur de iama

IN POETICEN HORATII

bo, et spondeo hic non reticendum sibi putauit Horatius. SYLLABA LONGA BREVI SVBIECTA. duæ syllabæ, prior breuis, posterior longa iambum conficiunt. M. Tullius libro tertio de oratore. nam quum sint numeri plures, iambum, & trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles Catule uester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem, sermonemq; nostrum, sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, & minuti pedes. Quintilianus libro nono, cap. ultimo, sic. Iambum breui, longaq; huic contrarium è longa, & breui, hunc nos choreum, ut alii trochæum nominemus. hæc ille. pedes autem huiusmodi in poesi constant metrum, in soluta oratione rhythum Aristotelis libro tertio rhetoricorum, διορθῶν δὲ ἔχει τὸν λόγον, μὴ τὸν δὲ μὴ. πικρὰ γὰρ ἔσται. quare in oratione esse oportet rythmum, seu numerum, non metrum: sic enim erit poema. PES CITVS. si comparatur cum spondeo tardo, qui constat è duabus syllabis longis. sic Aristoteles in prædicamentis, ubi agit de iis, quæ sunt πρὸς τί, milium magnum uocat ratione minoris, montem paruum ratione altioris. in odis etiam celeres iambi dicuntur. & in celeres iambos Misit furentem. TRIMETRIS ACCRESCERE IVSIT NOMEN IAMBEIS. Iambicum carmen sex ictibus constans, trimetrum dicitur, propter celeritatem, cum sit senarium. ut statim apparet, ibi, cum senos reddere potest, qui libro nono cap. ultimo sic inquit. longam esse duorum temporum, breuem unius, etiam pueri sciunt, & hoc est, quod ait Cicero in oratore, choreum, qui ex longa, & breui constat, eodem spatio claudi, quo trochæum, qui est ex tribus breuibus. quia scilicet longa chorei ualet duas breues trochæi. quia igitur breuitas in syllabis contrahit, longitudo producit, ac diffundit, iambus propter priorem syllabam breuem ex senario in trimetrum colligitur, ac reducitur. ACCRESCERE. in codice Bernardini Parthenij, uiri doctissimi, qui Vincentiæ publice græcās, et latinās literas magna cum laude profitetur, accedere est, non accrescere. et quidem non inepta lectio est. nam iambico uersui in trimetrum contracto contrahi nomen uidetur, non accrescere. nisi accrescat, quia non solum senarium, sed etiam trimetrum appellant. PRIMVS AD EXTREMVM SIMILIS SIBI. idest à principio ad finem olim ex iambis duntaxat constans. sic in Verrem oratione septima, qui furta in Sicilia nunquam intermisit, antequam hoc delectum, præclarumq; consilium iste dedit, ut ab ijs nummo acciperet, ac sui similis esset. TARDIOR VT PAVLO, &c. inseri cœperunt mox spondei inter iambos, ut uersus grauior redderetur, cum grauitate spondeorum leuitas iamborum temperata esset. nam spondei tardi sunt, cum ex duabus longis syllabis constent. Dionysius in libro de compositione, ὁ δὲ ἀμφοτέρωσιν τῶν συλλαβῶν μακρῆς ἔχων κέντηται μὲν ἀπὸνδρείος, ἀξίωμα δὲ ἔχει μέγα, κὶ σεμνότητά κλάω. utranque sillabam longam habens spondeus uocatus est. magnam autem dignitatem, & plurimum grauitatis præ se fert. Pythagoras spondeis iuuenes bacchantes, & in castissimam domum impetum facientes repressit, cum in eos ipse noctu incidisset, quo tempore stellas contemplabatur. IN IURA PATERNA. in eum locum,

quem

quem ipse solus apud patres, & maiores nostros occupare solebat, cum socium in carmine spondeum non habebat, & uersus ex iambis integer constaret. similitudo ab iis, qui partem imperij alijs concedunt, ut Romulus Sabinos in suam urbem recepit. Liuius libro primo. & Darius imperium cum Alexandro partiri uoluit. cui Alexander respondit, ut mundum duos soles, sic idem regnum duos reges ferre non posse. Diodorus. STABILES. graues, & tardos, ut stare uideantur, non moueri. similitudo ab ijs rebus, quæ non facile dilabuntur, ut apud Demosthenem in Leptinem, ubi munera populi stabiliora, quàm quæ reges largiuntur, esse probantur. τῆ δ' ἰμῆ, καὶ βεβαιοῦ-
τητι τοῖς πῶσι τῶ δ' ἰμῶν δωρεὰς δ' ῥήσεται οὐσας βελτίους. dignitate, & constantia, quæ à populo munera accepimus, præstare intelligetis. βεβαιοῦτητα nominat. quam etiam hic Horatius in spondeis per translationem expressit. SEDE SECUNDA, AVT QUARTA SOCIALITER. ita spondeos recepit, ut sibi ipse exceperit secundam, & quartam sedem in carmine, unde pelli à spondeo non potest. COMMODVS, ET PATIENS. quia celsit libenter spondeis locum. ut Virgilius de scorpio amplum locum Cæsari cedente, libro primo georg.

= Ipse tibi iam brachia contrahit ardens

Scorpius, & cœli iusta plus parte relinquit.

Vt iambus, & scorpius maiorem partem cedentes, iure non solum commodi, sed etiam patientes haberi queant. ACCI, ET ENNI. qui tragœdias scripserunt spondeis refertas, in quibus uel nullos iambos uel raros reperisses. Accius Atreum tragœdiam à se scriptam Pacuuius iam grandi natu legendam dedit. cui Pacuuius respondit, esse sonoram, grandem, sed acerbam, ut pomum nondum mite. Gellius libro duodecimo, cap. secundo. Ennius præter alias tragœdias Medæam scripsit, ut apparet apud Ciceronem pro Cælio, & libro secundo de inuentione. item Hecubam. Gellius testis libro decimo, cap. quarto. Accius etiam Electram. Cicero Philippica prima. NOBILIBVS TRIMETRIS. non quia raris iambis utantur, nam id uitium potius existimandum est, sed quia alijs ornamentis abundant. Ouidius de Ennio. Ennius ingenio nobilis, arte rudis. nam ego hic non arbitror esse ironiam, quam Iason inducit. ipse Cicero, quo nullus testis locupletior, in Accio, & Ennio multa admiratur. libro tertio de officijs sic. deinde illud etiam apud Accium. fregisti ne fidem? neque dedi, neque do infideli cuiquam, quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. & post de Ennio sic. nam præclare Ennius. ò fides alma, alta pinnis, & iusiurandum Iouis. his, & alijs huiusmodi & Accij, & Ennij trimetra sine ironia nobilia nuncupauit Horatius.

XXXX.

In scenam missos magno cum pondere uersus,
Aut operæ celeris nimium, curaq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi,
Non quiuis uidet immodulata poemata iudex.

Et data Romanis uenia est indigna poetis,
 Iccirco ne uager? scribamq; licenter? an omnes
 Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
 Spem ueniæ cautus. uitauit denique culpam,
 Non laudem merui. uos exemplaria græca
 Nocturna uersate manu, uersate diurna.

Latinos poetas reprehendit, quòd spondeos nimium adamarint, & Græcos ijs anteponit, quorum in scriptis crebriores iambi sunt. MAGNO CVM PONDERE. propter crebros spondeos, quos stabiles paulo ante uocauit propter pondus, & grauitatem. non enim magnum sonantes uersus innuit Horatius, ut Acron, Parrhasiusq;, & Acronem sequuti Grifolus Iasonq; crediderunt. nec uero Madii doctissimi hic opinio admodum placet, qui de magno carminum uolumine exponit. OPERAE CELERIS NIMIUM. ordo est. iudex premit uersus &c. crimine turpi operæ nimium celeris, idest uituperat, quòd præpropere, & sine cura, studioq; scripti sint. sic prope Thucydides libro tertio in concione Diodoti, το μίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα βουλευτικῆ εἶναι, τὰ ἄλλοτε, καὶ ὀργὴν. rectis consilijs duo maxime contraria esse iudico, celeritatem, & iram. Plinius libro sexto epistola secunda. paucioribus clepsydri præcipitamus causas, quæ diebus explicari solebant. AVT IGNORATAE ARTIS. quæ exigit mixtos spondeis iambos in carmine. quod qui non præstiterunt, poetæ hic ab Horatio reprehenduntur, non qui graues, & ponderosos uersus ediderunt. nam hoc laudi tribuendum est, non uitio uertendum. Virgilius de Sophocle sublimi, & graui poeta, qui imperatorias laudes stylo æquare posset. Sola Sophocle tua carmina digna cothurno. ubi Seruius sic. Sophocles autem tragœdiographus fuit altisonus. NON QUIVIS IUDEX. non omnes iudices adhiberi recte sententiam ferre de poematibus possunt. Vitruuius libro septimo in proœmio sic inquit: Aristophanes uero, cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciari iussit, qui minime populo placuisset. ubi de poetis loquitur. IMMODVLATA. metho- do, & modulo poetico non recte efficta. modulum latius patet. Horatius libro primo epistolarum.

Metiri se quenque suo modulo, ac pede uerum est.

Lilius Gregorius Gyraldus, uir summus in literis, duos libros de poetis nostrorum temporum edidit: in quibus ita ille acri iudicio singulorum poetarum scripta tanquam in libra Critolai expendit, ut facile doceat, quæ modulata, quæ immodulata poemata esse censeat. nec uero illum usquam opinio fefellit, nisi ubi me bonum iam poetam esse dicit, cum tamen ea carmina nostra legerit, quæ mihi olim adhuc puero exciderunt. nam si ea præstantia in pangendis carminibus essemus, qua Ioannes Baptista Pigna Ferrariensis est, iuuenis in omni genere literarum præstantissimus, ac summus, qua alij complures, quos ille nominat; certe mihi iure optimo locum in suis libris Gyraldus esse

uoluiſſet. ROMANIS POETIS. Latinos poetas uenia hac fuiſſe indignos ait, qua ſpondaicos, non iambicos uerſus panxerunt. & ut non perfectos non ſolum hic, ſed etiam libro ſecundo epistoſularum arguit. in hoc enim de poetica libro Horatius ſummi, ac perfecti poetæ ſpeciem quærit: quæ ſi ſpectetur, iam latinum poetam, quem ualde mireris, inuenies neminem. ſic in oratore Cicero perfecti oratoris exemplum effingens, ea laude Crasſum, Antonium, Hortenſium clariffimos oratores priuat, his uerbis. in ea urbe, in qua, ut ait Antonius, auditus eloquens nemo erat. atqui ſi Antonio Crasſus eloquens uiſus non eſt, aut ſibi ipſe, nunquam Cotta uiſus eſſet, nunquam Sulpicius, nunquam Hortenſius. &c. ſi perfecti aut oratores hi, aut poetæ illi non exiſtiterunt, nobiles tamen fuiſſe nemo inficias ibit. AN OMNES VISVROS, etc. cum ſcimus omnium oculos in nos eſſe coniectos, melius officium colimus. Ariſtoteles libro ſecundo rhetoricorum Cydia illud refert, ὡς πρὸς κυδίας πρὸς τὸ σάμου κληροχίας ἐδημηγόρησεν. ἠξίον ἦν ἕπολαβεῖν τὸν ἀθηναίους πρὸς ἐστίναι κύκλω τὸς ἔμλω αὐτὸς ὡς ὄρα ντὰς, καὶ μὴ μόνον ἀκουσομείους ἀλλ' ἠμώσονται. ſicuti Cydias de Sami colonia in concione dixit: rogabat enim Athenienſes, ut circumſtare Græcos omnes putarent, ut uidentes, non audituros tantum ea, quæ decreuerint. & Cicero in oratione pro Sex. Roſcio Amerino M. Fannium in eo iudicio quæſitorem ſic alloquitur. quanta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, uides: quæ ſit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, ut acria, ac ſeuera iudicia fiant, intelligis. quibus uerbis non modo multos, ſed etiam intelligentes ad eſſe præmonet. TUTVS, ET INTRA SPEM VENIÆ. referuntur hæc ad uerba illa conſequentia, uitauī, & merui, non ad ſuperiora. nam uirum doctiſſimum Iacobum Grifolum Iaſon minus prudenter reprehendit, quòd, ut ego, hæc cum conſequentibus coniunxerit. nam hic germanus poetæ ſenſus eſt. ſi uenia contentus ſum, culpam quidem nullam ſuſtinebo, ſed tamen laudem non referam, ac promerebor: ſolet enim laus à præſtanti uirtute, non à uenia proficiſci. ſpem ueniæ dixit, quod admodum uulgare eſt, ideo non laudabile: quis enim eſt, qui ſpe diues non ſit? Heſiodus libro primo de operibus, & diebus, omnia mala è uaſe Pandoraë euolaſſe ait, ſolam ſpem in imo uaſe remanſiſſe. μούνη δὲ αὐτῆς δι' ἐλπίς ἐν ἀρρήκτοις δέμοις εἶδον ἔμμεπιθον ἕπο χείλεσιν. innuens, ſpem apud omnes reſidere, nec abire. VITAVI DENIQUE CVLPAM. quod glorioſum non eſt. Cicero libro familiarium, in epiſtola ad Pætum. iam pater eius accusatus à M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. NON LAUDEM MERVI. quam ſolam petere debemus. unde M. Marcellus hoc indicans templum honori erexit: ut præter Liuium Vitruuius libro ſeptimo teſtatur. EXEMPLARIA GRÆCA. nam, ut poſtea dicet, Graijs ingenium, graijs dedit ore rotundo Muſa loqui. cum igitur Græci perfecti ſint, ad eorum nos imitationem Horatius cohortatur. Euripidi quædam errata Ariſtoteles in poetice opponit, quæ fortaiſſe dilui poſſunt. eius hæc uerba ſunt, ὅτι δὲ πρὸς ἀδύγμα πνεύματος μὴ ἦτοιο μὴ αἰαγυκαῖον, οἷον, οἷον ὁ μὲν ἔλαος ἐν τῷ ὀρίσῃ. τὸ δὲ ἀπὸ ἐποιο καὶ ἢ τῆς μὲν ἀλίππης ῥῆσις, τὸ

IN POETICEN HORATII

Ἄνω μάλου ἢ τὴν αὐλίδι ἰουλίαια, οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῆ ὑσδρα, idest exemplum improbi moris sit alioqui minime necessarium, ut Menelaus in Oreste: decorari uero non seruati, Menalippes sermo: in equalitatis autem, Iphigenia in Aulide: non enim, cum supplicat, talis uidetur, qualis postera die est. quod attinet ad Menelaum, Orestes in Oreste Euripidis, necata matre Clytemnestra opem à patruo Menelao implo- rat. is opem non fert, imo matricidam increpat. hoc uidetur exemplum esse miræ cuiusdam probitatis, qui ne filio quidem ex fratre, qui se matricidio inquinauerat, potuerit non aduersarius esse, cuius quasi iudicium dii immortales secuti Orestem furijs agitarunt. unde Virgilius. hinc Agamemnonius furijs agitatus Orestes. Alterum crimen est de Menalippe, quam Euripides philosophorum more de natura disputantem induxit: uidetur autem esse ἀπεπὶς, idest indecorum, fœminæ tam excellentem rerum cognitionem tribuere. sed excusari potest Euripides. nam decorum potius seruauit: Menalippem enim Neptunus erudierat. qui potuit igitur fœmina à tanto deo erudita non Cassandras, & Carmentas, Mutias, & Licinias, & Cornelias Romanas doctrina uincere? Dionysius Halicarnassens in libris rhetoricis, ubi agit, τὸ δὲ ἐπιμαλ- σμῶν λόγῳ, sic inquit, ἡ δὲ μεναλίππη ἐπαιδύθη μὲν ὑπὸ τῆ προσειδῶνος. Menalippe autem à Neptuno erudita fuit. Tertium peccatum uidetur in Euripide esse, quòd Iphigeniam primum patri supplicem, ne Dianæ mactaretur, inducit, mox alacrem ad moriendum pro salute Græcorum omnium eam effingit. Cicero enim libro tertio de officijs, sic inquit. Agamemnon cum deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset; illo anno immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. in quo tantum abest, ut Euripides reprehensione dignus sit, ut in cœlum potius ob prudentiam ferendus uideatur. nam si puellam constantem, et intrepidam effinxisset; cum primum ei mortis nuncius allatus est, non seruasset profecto decorum: id enim uirtutis specimen puellæ dedisset, quod uix in Regulo, Codro, & Decijs repertum est. puellæ timidæ sunt, & nihil morte acerbius putant. iure igitur primum timidam Iphigeniam Euripides facit. at altero die salutem Græcorum uita chariorem habet. quid tum? illam patris preces, illam necessitas, illam salus suorum, illam gloria mouere potuerunt. at inconstans est. nimirum fœminæ inconstantes esse solent. Virgilius. Varium, & mutabile semper Fœmina. cur autem mortis contemptum in maximi Regis filia indigne ferimus, quem fuisse in priuatis fœminis, Arria, Portia, & alijs scimus? NOCTVRNA MANV. nam studiosis non est dormiendum παννυχίου, idest per totam noctem, quam Græci ueteres cogitationem appellarunt, quòd noctu etiam cogitationes nostræ euigilare debent. Pindarus in Nemeis, in ode, qua Sogenem Aeginensem laudat.

αἶδου σέθεν

οὐ φάος, οὐ μὲν αὖτε δρακέντις δὲ φρόνα.

Tibi sine Lucina ait nos nec diem uidere, nec noctem posse. ibi δὲ φρόνα, idest cogitationem bonam pro nocte habes.

XXXI.

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudare sales, nimium patienter utrunque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepidio seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus, & aure.

Plautum, et Plauti imitatores, laudatoresq; damnat. AT NOSTRI PRO-
AVI. de Plauto lib. ij. epist. scribens ad Augustum Horatius sic, Gestit enim numum
in loculos dimittere posthac securus cadat, an recto stet fabula talo. Plauti laudatio-
nem tribuit maioribus. nam Plautus per antiquus est. de eo sic Cicero in libro de claris
oratoribus. Accius autem à Q. Maximo quintum Consule captum Tarento scripsit
Liuium, annis triginta post, quam eum fabulam docuisse, & Atticus scribit, & nos in
antiquis commentariis inuenimus: docuisse autem fabulam annis post undecim Cn. Cor-
nelio Q. Minutio Coss. ludis Iuuentatis, quos Salinator Senensi praelio uouerat. in quo
tantus error Accij fuit, ut his Coss. quadraginta annos natus Ennius fuerit. cui si æqua-
lis fuerit Liuius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui
multas docuerunt, ante hos Coss. & Plautus, & Næuius. huius M. Accii Plauti ui-
tam Crinitus, & Lilius Gyraldus scripserunt. Gellius libro tertio, cap. tertio, est au-
ctor, Plautum in pistrino comœdias composuisse, cum ob uictum quærendum trusati-
les molas circumageret. NUMEROS. poeticos, non oratorios. de ambobus Ari-
stoteles libro tertio rhetor. sic. τὸ δὲ ἄριστον τῆς λέξεως δεῖ μὴ τε ἔμμετρον εἶναι, μὴ τε ἄ-
ριθμικόν. formam autem orationis esse oportet, nec poeticis numeris astrictam, nec omni-
no numerorum expertem. numeri igitur poetici metrum efficiunt, oratorij speciem quan-
dam metri, non metrum. Cicero etiam in oratore sic inquit. nam qui Isocratem maxi-
me mirantur, hoc in eius summis laudibus ferunt, quod uerbis solutis numeros primus
adiunxerit. cum enim uideret oratores cum seueritate audiri, poetas autem cum uolu-
ptate, tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, etc. SALES.
facetas. de quibus copiose Cicero libro II. de oratore. Quintilianus lib. VI. NE DI-
CAM STULTE. stulte sentiebant, quia uerum ignorabant. stultitia autem oritur
ex ignorantia, ex qua tanquam ex fonte manat; cum scilicet ea ignoramus, quæ sunt
alijs notissima, non quotiescunque ignoramus. Socrates enim apud Xenophontem lib. ij.
ἀρχῆ. sic ait his exemplis. εἰ μὴ τε ἄρτις τις μέγας ὄψιν οἴηται εἶναι, ὡς τε κὺπτεν τοῖς
πύργοις τῆς τεύχου: διεξιὼν εἰ μὴ τε οὕτως ἰσχυρὸς, ὡς τε ἀδιχέρειν οἰκίας ἀίρει. τῶν
μυνησθῆναι φάσκειν. si quis se ita procerum esse putet, ut portas urbis transiens se curuet,
et ita robustum, ut domos attollere conetur, hunc stultum dicere possumus. ET VOS.
ò Pisones. INVRBANVM LEPIDO. Cicero de oratore II. de inurbano sic. ui-
tandum est oratori utrunque, ne aut scurrilis iocus sit, aut inimicus. Aristoteles libro II.
rhet. ἑωμολοχίαν uocant. per lepidum elegantem iocum intelligit, unde Aemylij Lepidi

dicti sunt. Aemylius enim graece Lepidum significat. Plutarchus in uita Aemylij Pauli. *δὲ αἰμυλίαν λόγον, καὶ Ἰν αἰμυλίος περὶ σαυροθεῖς.* DIGITIS ET AVRE. metaphora à musicis, qui legitimos sonos digitis, & aure iudicant. Quintilianus libro undecimo, cap. de pronunciatione. sunt quaedam latentis sermonis percussiones, & quasi aliqui pedes. et post: ut sit unus motus, nouum crimen: alter, C. Cæsar: tertius, & ante hunc diem: quartus, non auditum, &c. Hesiodus libro primo operum, & dierum, de choreis.

αἰεὶ δὲ πόδας, καὶ χεῖρας ὅμοιοι

τὸ ῥυθμὸν ἐν θαλίῃσι.

Hunc motum aures metiri solent, & manus.

XXXII.

Ignotum tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris uexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti fœcibus ora.
Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Aeschylus & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Quemadmodum libro primo de diuina philosophia Aristoteles, antequam proposi-
tam rem aggredieretur, Aegyptios primum philosophatos esse dixit, & à quibus pri-
mum auctores philosophia manarit, edocuit: sic quidem hic Horatius de origine poe-
tices tragicæ agit, & quo modo producta creuerit tragœdia, demonstrat. THE-
SPIS. hunc inuentorem fuisse tragœdiæ affirmat Horatius, cuius rei auctor est
etiam Plutarchus in uita Solonis. fuit autem Thespis Atheniensis, ut scribit Suidas. Ari-
stoteles in poetice Dorienses, non Athenienses tragœdiæ, & comœdiæ inuentores nomi-
nat, his uerbis, *διὸ καὶ αἰνυποιοῦνται τῆς π. τραγωδίας, καὶ τῆς κωμωδίας οἱ δὲ
εἰσὶν.* & quæ sequuntur. quamobrem tragœdiam, & comœdiam Dorienses sibi uen-
dicant. altercabantur pro hac laude Dorienses cum Atheniensibus, & uocabulis pa-
trijs se tuebantur. nam nos, aiebant, uicos appellamus κώμας, uos Athenienses δῆμους.
sed comœdia dicitur *ἄπ' τῆς κωμῆς.* nos facere δράμῃ dicimus, uos *περὶ τῆς*. drama-
ta igitur, idest comœdia, & tragœdia, Doriensi uocabulo nominatur. quod testatis-
simum argumentum est, Dorienses utriusque poematis fuisse auctores. quæstio hæc di-
scutiatur, si uarijs opinionibus rem hanc apud ueteres iactatam respondebimus, & Ho-
ratium eorum sententiam esse secutum, qui originem tragœdiæ ad Athenienses ut no-
biliores auctores retulerunt. IGNOTVM. nam si tum primum à Thespide, uel,
ut alij asseuerabant, ab Epigene, ut est apud Suidam, uel à Doriensibus, tragœdia
reperta est: necesse est, ut ante genus tragœdiæ ignotum latuerit; quia res cognitionem,
ac scientiam præcedit. Aristoteles in prædicamentis, in ijs, quæ uulgo relativa dicun-
tur, τὸ ἔπ' ἐπισκτὸν περὶ τὸν αἰ δόξειε τῆς ἐπιστήμης εἶναι, &c. quod sciri potest

prius, quàm scientia esse uideretur. ET PLAVSTRIS VEXISSE POEMATA. alii omnes, uel tam multa Thespides scripsisse aiunt, ut ea plaustris adueheret, Acronis auctoritatem secuti, uel certe eum sua poemata portasse in curribus cum iis omnibus, quæ ad actionem necessaria uidebantur, exponunt. ego, scenam à Thespide plaustris circumductam, interpretor, per urbem. Virgilius libro tertio georg.

Vel scena ut uersis discedat frontibus, utq;

Purpurea intexti tollant aulae Britanni.

ubi Seruius sic inquit. scena quæ fiebat, aut uersilis erat, aut ductilis. uersilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam conuertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat: ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac, atque illac species picturæ nudabatur interior. Horatius poemata nominauit pro scena, causam ut aiunt pro causa. nam propter poemata scena comparatur: & poemata in scena concinebantur. unde subdit. Quæ canerent, etc. AGERENT QVE. et representarent: hinc actores. quia Scipio ex Lælii sententia omnia statuebat, ipse actor dictus est, Lælius poeta. Plutarchus in libro, quo disputat, an gerenda sit à sene res. PERVNCTI FOECIBVS ORA. Suidas de Thespide, καὶ πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρῶτον ἄμειδιον ἔταράσσειν. & primum faciem fucis perunctus in tragœdia recitauit. sed an fucus foecem iure dixerit Horatius, alii uideant: fucus enim foex esse non uidetur, nisi quia aliam faciem reddit. quare male audiunt, qui se fucis inficiunt. nam Aelianus libro septimo de Archidamo Lacedæmoniorum rege, & de sene quodam fucato, sic inquit, αἰσάσας ἔν ὁ ἀρχίδαμος ὁ τῆς λακεδαίμωνίων βασιλῆος τὴν αὐτῆς οὐτὸς ὑγιὲς ἔπει, ὅς οὐ μόνον ἔσ τῆ ψυχῆ τὸ ψεύδος, ἀλλὰ καὶ ἔσ τῆ κεφαλῆ πῶ φέρει. surgens igitur Archidamus Lacedæmoniorum rex, quid hic, inquit, sanum dicat? qui non solum in anima mendacium, sed etiam in capite circumfert. quid si per foecem caliginem, & fauillam intelligamus? qua hodie in genialibus diebus multos sibi uultum inficere uidemus licentius. ea tinctus Damon Cheronæus militem Romanum sui libidine ardentem aggressus interfecit, ut ait Plutarchus in Cimone. PERSONAE. Aeschylus, inquit, personam inuenit, fortasse, quia duos mimos addidit. Aristoteles in poetice. καὶ τότε τῆς ἰσοκριτῆς πλῆθους ἕως εἰς δύο πρῶτος αἰχίλος ἤγαγε. & tunc hypocritarum numerum ab uno ad ternarium primus Aeschylus prouexit. uel intellige personam pro ficto uultu, quo in choreis uti, ne de facie dignoscatur, solemus. persona etiam ueteres Romani utebantur, ut de M. Antonio, qui Cleopatras amore flagrabat, scriptum reliquit in uita Plutarchus. de tibicinibus Valerius Maximus libro secundo, cap. primo, sic. tibicinum quoque collegium solet in foro uulgi oculos in se conuertere, cum inter publicas, priuatasq; ferias, actiones personis tecto capite, uariaq; ueste uelatis concentus edit. Gellius libro quinto, cap. septimo, unde dicta persona sit, docet. PALLAE. stolæ. de hac Athenæus libro primo. καὶ αἰχίλος δὲ οὐ μόνον ἕβουρε πλὴν τῆς εὐλαῆς οὐ πρὲπειαι, καὶ σεμνότητα, etc. & Aeschylus non solum inuenit honestatem, & grauitatem, etc. Horatius libro secundo epistolarum

ad Augustum scribens de hac ueste, sic,
 Diuitiæq; peregrinæ, quibus oblitus actor
 Cum stetit in scena, concurrat dextera lævæ.
 Dixit adhuc aliquid? nil sane. quid placet ergo?
 Lana Tarentino uiolas imitata ueneno.

MODICIS INSTRAVIT PULPITA TIGNIS. Aristoteles in poetice non Aeschylus hoc, sed Sophocli inuentum tribuit. καὶ οὐλοορχαθίαν σοφοκλήης. Et scenæ apparatus Sophocles inuenit. fortasse Aeschylus modicam scenam, Sophocles ampliore instituit. quod tacite Aristotelis, Et Horatii uerba innuunt. scenam tragicam Vitruuius columnis, signis, alijsq; rebus exornat, ut regijs; comicam priuatis, satyricam arboribus, speluncis, montibus. hoc in loco Iason sic inquit: non dicit scenam Thespim inuenisse, sed modicis tignis pulpita instrauisse. Et non uidet mentionem hic non de Thespide, sed de Aeschylus incidisse. MAGNUM QVE LOQUI nam, ut libro decimo Quintilianus scribit, grandiloquus sæpe ad uitium usque est. Aeschylus. sed nimirum granditas hæc omnium tragicorum est germana. Horatius libro primo epistolarum, ad Iulium Florum scribens de Tityo, An tragica desæuit, Et ampullatur in arte? sæpe etiam personæ in tragœdia inducuntur iratæ, Et ideo loquentes inflatus. ut loquitur apud Sophoclem Oedipus tyrannus contra Creontem.

οὐρς οὐ πῶς δὲ ῥ' ἤλθεις; ἢ ἑσόνδε ἔχεις

τόλμης πρὸσωπν; Et quæ sequuntur.

Tu, qui talis es, quo modo huc uenisti? an tantam uultu audaciam præ te fers? ut merito de illo Platonis illud in Protagora de Prodicus usurpare possimus, δὲ πρὸ φωνῆς βαρύτερα βόμβησεν οἰκία. uocis grauitate domus intonuit. NITIQVE CO- THVRNO. stylo tragico, Et sublimi uti. supra demonstratum est, soccum comicorum esse, cothurnum tragicorum. Virgilius nymphis etiam dedit. Purpureoq; alte suras uincire cothurno. Theramenes, quia uersatili erat ingenio, cothurnus dicebatur. Plutarchus in politicis. Δεῖ μάλιστα τὸν θεραμενίως καὶ θορον ἔποδον μὲν ἀμφοτέρωσιν ὀμλῆν. Theramenis cothurnum induentem cum utrisque uersari, atque assuescere oportet. tragici etiam duo illa diuersa præstare debent in primis, miserationem, Et terrorem, ut docet in poetice Aristoteles, ut conuenire his iure optimo cothurnus putetur.

XXXIII.

Succesit uetus his comœdia non sine magna
 Laude, sed in uitium libertas excidit, & uim
 Dignam lege regi. lex est accepta, chorusq;
 Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Quo modo comœdia uetus magno omnium plausu excepta primum sit, mox ob maledicta repudiata, hoc contextu habemus. SUCCESSIT VETVS HIS COMŒDIA.

MOEDIA . fuit comoedia uetus, media, noua, ut inquit apud Terentium Donatus. Horatius de ueteri tantum, ut digniori agit. quis inuenerit apud Græcos comoediā, docuimus superiore contextu. Donatus tamen dubium esse ait de Græcis. nam inter Latinos Liuium Andronicum auctorem nominat, quod M. Tullius etiam fatetur libro primo quæstionum Tusculanarum. successit tragœdiæ comoedia, quia, ut ait Donatus, tragœdia primo prolata est. nam ut ab incultis, & feris moribus paulatim peruentum est ad mansuetudinem, ad urbes conditas, ad mitiorem uitam, ita res tragica multo ante comicas inuentæ. Aristoteles in poetice de comoedia. ἡ δὲ κωμῳδία τῶ μὴ ἀπουδάξεισθαι ὅς ἀρχῆς ἐλάθειν. καὶ ἄρ' ἄρ' ἄρ' κωμῳδῶν ὅς ἔπειτα ὁ ἀρχὼν ἐδῶκεν. comoedia, quia negligebatur, primum latuit. nam ei chororum magistratus sero dedit. A phallicis carminibus obscenis, quæ in sacris Bacchi concinebantur, comoediā manasse, et ipsam parum pudentem, in poetice auctor Aristoteles est. **IN VI-TIUM LIBERTAS EXCIDIT.** quia nominabantur ἢ, in quos maledicta conijciebantur, ut uidemus in Pluto Aristophanis, qui Patroclelem nominat, cum sordidissimum hominem innuere uellet.

ἐν πατρὸς τοῦ κλέους ὄρχομαι,
ὅς οὐκ ἐλούσατο ὅς ὅτου πῶρ ἐλίετο.

A' Patrocle uenio, qui tota uita nunquam lotus est. in Nephelis uero quid in Socratem non dicit? cuius rei gratia legendus est Plato in Apologia. nimirum ueteris comoediæ proprium maledicere terat, ut pro flagitiis notam infamiæ peccantibus inureret. Aristoteles in poetice. ἡ δὲ κωμῳδία ὅς ἐστιν, ὡς πῶρ εἶπε μὲν, μίμησις φαντασμάτων μὲν, οὐ μὲν τοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τῶ ἀίχρου ὅς ἐστι τὸ κλοῖον μέριον. τὸ ἄρ' κλοῖον ὅς ἐστιν ἀμάρτημα ἢ, καὶ ἀίχρος αἰώδιον, καὶ οὐ φθαρτικόν, οἷς δὲ τὸ κλοῖον πρὸς ὅσον ἀίχρον πῶρ, καὶ διεστραμμένον αἰῶν ὀδύνης. Comoedia autem, ut diximus, est imitatio deteriorum, non tamen secundum omne uitij genus: quam ridiculum à turpi proficiscitur: ridiculum enim aliquo pacto peccatum est, & turpitudine sine dolore, minimeq; noxia, perinde ac ridicula statim appareat, deformis facies, distorta sine dolore. Horatius etiam hoc comprobat libro primo, satyra quarta.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq; poetæ,
Atque alii, quorum comoedia prisca uirorum est,
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mæchus foret, aut sicarius, aut alioquin
Famosus, multa cum libertate notabant.

Hinc omnis pendet Lucillius, hosce secutus.

LEX EST ACCEPTA. de cohibenda maledicentia ueteris comoediæ. his uerbis ueteres latam esse legem significabant. nam Cicero etiam libro tertio de officijs sic loquitur, honestius hic, quam Q. Pompeius, quo, cum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. **CHORVS.** hic in comoedia contumeliosus erat, impro-

bis detrahens. nam, ut supra dictum est, amat peccare timentes. non timentes igitur peccare odio habet. sed modum in iurgiis statuere debuit. TURPITER OBTVICVIT. quia turpe est, non sponte, sed legis poena à flagitijs cessare, & excidere in uim dignam lege regi. uiri boni ultro officium colunt. Paterculus libro secundo de M. Liuiio Druso sic ait. cum ædificaret domum in Palatio, in eo loco, ubi est quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est, promitteretq; ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, ne quisquam in eam despiciere possit, tu uero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus perspicere possit. SVBLATO IVRE NOCENDI. adempta facultate, & præcisa licentia maledicendi. quam leges nullo pacto ferunt. nam Vlpianus iurisconsultus libro uigesimo octauo Digestorum, titulo, qui testamentum facere possunt, lege decima octaua sic inquit. si quis ob carmen famosum damnatur, senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit. ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis.

XXXIII.

Nil intentatum nostri liquere poetæ,
 Nec minimum meruere decus, uestigia græca
 Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
 Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas.
 Nec uirtute foret, claris ue potentius armis
 Quàm lingua Latium, si non offenderet unum
 Quenque poetarum limæ labor, & mora. uos ô
 Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
 Multa dies, & multa litura coercuit, atque
 Perfectum decies non castigauit ad unguem.

Latinorum poetarum ingenium laudat, quòd non semper Græcorum esse imitatores uoluerint, sed ipsi ex ingenio multa feliciter sint aggressi: negligentiam tamen eorum in expoliendis, emendandisq; scriptis accusat. NOSTRI POETAE. Latini, quos libro secundo epistolarum nominat, =Aufert

Pacuuus docti famam senis, Accius alti,
 Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,
 Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
 Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte. & de Ennio.
 Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
 Ut critici dicunt, &c.

NIL INTENTATVM LIQUERE. nihil in scribendo prætermiserunt, omnia tentauerunt. Virgilius de Caco. At furijs Caci mens effera, ne quid inausum,
 Aut intentatum sceleris ue, doli ue fuisset, &c.

posteriorem uersum uidetur Virgilius ex oratione Demosthenis πῶδ' ἢ πρὸς ἀπειροσβεταῖοσ' expressisse. ille enim de Aeschine sic, οὐδὲν ἐμελοῖ ποτ' ἔμαχετο. nihil sceleris cum intentatum reliquerit. tres autem hi loci trium scriptorum simillimi sunt. **NEC MINIMUM MERERE DECUS.** quod ipsi multa tentarint, non semper uestigijs Græcorum insistentes. Et tentare rem arduam, semper gloriosum fuit. nam ut apud Gellium libro primo, cap. decimo octauo ait Varro, successum fortuna, experientiam laus sequitur. tum etiam laus sequitur, cum res ex animi sententia non euenit. Cicero in oratore ad Brutum. quod quoniam me sæpius rogas, aggrediar, non tam perficiendi spe, quàm experiundi uoluntate. hinc apud Ouidium Phaetontis epitaphium.

Hic situs est Phaeton, currus auriga paterni,

Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Aristoteles libro primo de diuina Philosophia, experientia, inquit, facit artem, inexperientia uero casum. **VESTIGIA GRAECA AVSI DESERERE.** non ueritè imitationem Græcorum dimittere. libro primo epistolarum, ad Mecœnatem scribens sic ait Horatius de se ipso.

O imitatores seruum pecus, ut mihi sæpe

Bilem, sæpe iocum uestri mouere tumultus.

Libera per uacuum posui uestigia princeps,

Non aliena meo pressi pede. qui sibi fudit

Dux regit examen, Et quæ sequuntur.

Cicero in oratore ad Brutum. atque utinam in Latinis talis oratoris simulachrum reperire possemus: esset egregium non quærere externa, domesticis esse contentos. Philoponus libro primo in posterioribus analyticis duplicem esse scientiam docet, alteram per inuentionem, alteram per disciplinam: quædam enim addiscimus per inuentionem, cum ipsi nobis duces sumus, quædam per disciplinam, quæ uel imitando, uel audiendo comparantur. priorem scientiam Philoponus, Et hic Horatius præstare affirmant. **CELEBRARE DOMESTICA FACTA.** uel res Romanas scribendo, ut scripsit Ennius, quem Scipiones de familia Cornelia, quam uersibus extulerat, optime promeritum suo sepulchro mortuum condiderunt. Cicero pro Archia. uel quia latina fabularum argumenta desumpserunt. ut hodie faciunt doctissimi uiri Ioannes Baptista Gyraldus, Georgius Trissinus, Speronus Speronius, Bernardinus Tomitanus, Alexander Picholomineus, Benedictus Varchius, Hercules Bentiuolus, Et alij. **VEL QUI PRÆTEXTAS, VEL QUI DOCVERE TOGATAS.** qui latinas fabulas scripserunt: prætextas autem, idest eas fabulas, quæ refertæ erant nobilioribus personis, togatas uero, in quibus minus erant illustres personæ. nam togam uulgo omnes gerebant, prætextam uero tantum ij, qui dignitate excellabant, Et alto loco nati erant. Octauius Cæsar purpureas uestes senatoribus tantum dedit, ut scribit Dion libro quadragesimo nono. scimus autem purpuram prætextæ prætextam fuisse. Cicero etiam li-

IN POETICEN HORATII

bro sexto ad Atticum epistola prima, magnus inquit prætectatus illo die fui. Diomedes togatas fabulas pro genere poni ait, prætectatas pro specie, & recte. sed miratur, hic togatas pro specie positas esse. at non debuit mirari, quia sæpe generis nomen species retinet. Aristoteles libro primo rhetoricorum σημεῖον genus esse omnium signorum inquit, mox hoc nomen speciei imponit, πὶ μὲν οὖν εἰκὸς ὅτι, καὶ πὶ σημεῖον, καὶ περὶ μὲν, καὶ πὶ διαφορῶσιν, εἰρητὰ μὲν καὶ νῦν. nam σημεῖον pro signo non necessario usurpauit. idem reperies in Quintiliano libro quinto, cap. quarto. Cicero in Topicis. genus est uxor, eius duæ formæ, una matrum familias, hæ sunt, quæ in manum conuenere, altera earum quæ tantum modo uxores habentur. hic Boetius obseruat species, sæpe, & genera iisdem nominibus significari. de hoc annotauimus etiam in Parergis libro primo, cap. nono. non fuit igitur, quamobrem hæc res Diomedis admirationem moueret. **NEC VIR TUTE FORET**, &c. Italia, inquit, uel Roma uirtute militari clarior, quam literaria non esset, sed parem laudem ex utroque studio retulisset, si latini poetæ sua scripta emendarent accuratius. id latinos assecuturos fuisse Horatius inquit, quod Ciceronis uirtute assecutos fuisse questus est Apollonius, cum Græcam Ciceronis orationem audiuit, & Græcis iam præreptam à Romanis esse non solum bellicam, sed etiam literariam gloriam doluit, ut scribit Plutarchus. **LIMAE LABOR**. emendandi cura. tractum ab artificibus mechanicis, qui lima opus emendant, & perpoliunt. sic Dionysius Halicarnassens in libro de compositione, de Demosthene loquens, quem limæ labor non offendebat. ὁ δὲ μισθοδότης οὖν οὐδὲς ἀθλιος ἔστω, ὥστε ὅταν γράφῃ ἄλλο λόγιον, μέτρα, καὶ ῥυθμοὺς ὡς πρὸς οἱ πλάσαι πρὸς πρὸς μίτρον διαρμόσῃ ἐπειρᾶν τοῖς τοῖς τύποις τὰ κῶλα, στέφω ἀὖ καὶ κῆρω τὰ ὀνόματα. Demosthenes in scribendis orationibus ita erat anxius, ut ueluti fictores mensuras, et numeros immutans typis membra his aptare conaretur, nomina huc, atque illuc torquens. **ET MORA**. ibidem Halicarnassens de Isocrate. ὁ μὲν πανηγυρικὸν λόγιον, ὡς τὸν ἐλάχιστον χρόνον γράφοντες ἀπεφαίνουσιν, ἐν ἑπταδύο σιωετᾶξάτω. hic Panegyricam orationem, ut qui minimum tempus scriptis suis significant, decem annorum spatio composuit. de Platone sic. ὁ δὲ πλάτων ἄλλο ἑαυτῷ διαλόγιον ἔδιδεκεν ὀγδοήκοντα γυγίως ἔτη. Plato autem suos dialogos octoginta annos natus è manibus non deposuit. **VOS O POMPILIUS SANGVIS**. uos ò Calpurnii Pisones, qui oriundi estis à Numma Pompilio secundo Romanorum rege. sanguis, idest proles. Anchises apud Virgilium Cæsarem sic alloquitur, libro sexto. Proiice tela manu sanguis meus. Pindarus in Nemeis ode tertia.

Πηλαγίος ἀρᾶρε φέρος

αἰακιδᾶν αἰὲθιν

ξδ. τίον γρᾶ ἄμα.

Procul fulgens oritur lumen

Aeacidarum, illinc,

Ὁ Ἰουππῆτερ: tuus enim sanguis est.

Aristoclidam Aeginetam Iouis sane

guinem Pindarus appellat. Pompilius est nominandi casu pro casu uocandi, ut apud Virgilium,

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Sic contra casus uocandi pro casu nominandi saepe apud Homerum, & Hesiodum, ut $\mu\eta\pi\epsilon\tau\alpha\ \xi\delta\alpha$. **MULTA LITVRA COERCUIT.** Latini tamen poetæ lituram, et emendationem in suis scriptis turpem putabant, ut in epistolis etiam legimus.

Et placuit sibi natura sublimis, & acer,
Nam spirat tragicum satis, & feliciter audet,
Sed turpem putat in scriptis, metuitq; lituram.

Dicit autem libros lituris, emendationibusq; coerceri, quia, nisi prudentes erunt scriptores, libri statim è manibus impoliti euolabunt. incredibile enim desiderio parandæ gloriæ flagramus. librum suum Horatius sic alloquitur libro primo epistolarum.

Vertumnum, Ianumq; liber spectare uideris,
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus,
Odisti clauas, & grata sigilla pudico, &c.

Sed interponendum tempus est, ante, quàm lucubrationes edamus: tempus enim sapientissimum philosophi dixerunt esse, ut Aristoteles est testis libro quarto phisicorum. $\delta\iota\omicron\ \kappa\alpha\iota\ \omicron\iota\ \mu\epsilon\lambda\iota\ \sigma\omicron\phi\omicron\tau\alpha\ \tau\omicron\nu\ \epsilon\lambda\epsilon\tau\omicron\nu$. uide quid in eum locum annotauimus in Parergis libro tertio, cap. decimo septimo contra doctissimi Argyropyli interpretationem. coercere autem est exire uolentem retinere, inuitum. Virgilius de styge animas coercente. Et no= uies styx interfusa coercet. **DECIES.** saepius. numerus pro numero. **AD VN= GUEM.** Seruius declarans illud Virgilii libro secundo georg.

=nec secius omnis in unguem

Arboribus positis secto uia limite quadret.

In unguem inquit, idest ad perfectionem. & est translatio à marmorarijs, qui iun= eturas unguibus probant, hæc ille. sic Plutarchus in præceptis salutaribus. $\alpha\upsilon\epsilon\lambda\epsilon\tau\omicron\nu\ \sigma\phi\omicron\sigma\beta\alpha$, $\kappa\alpha\iota\ \delta\iota\omicron\nu\upsilon\chi\omicron\varsigma\ \lambda\epsilon\gamma\omicron\mu\epsilon\lambda\iota\ \eta\ \delta\iota\alpha\iota\tau\alpha$. ualde diligens, & ad unguem quæ dicitur diæta.

XXXV.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea uitat:
Nanciscetur enim pretium, nomenq; poetæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonfori Lycino commiserit.

Democritus philosophus naturam requiri in poeta, non artem aiebat. cuius senten= tia si plausibilis uideretur, frustra tam multa Horatius de arte poetica præcepisset.

IN POETICEN HORATII

Democritum igitur hic irridere uidetur, & eos omnes eludit Horatius, qui Democriticos se esse fingentes, ut boni poetae uiderentur, omnem artem etiam in nitore corporis spernebant. **INGENIUM MISERA**, &c. Democritus ingenium fortunatius, idest felicius ad scribenda poemata esse dicebat misera arte, quam ipse miseram in comparatione cum natura putabat. fuit autem Democritus philosophus, Abderitanus, qui in philosophia passim ab Aristotele confutatur: multa enim perperam sensit. Laertius in eius uita. *δοκεί δ' αὖ τῷ τὰ θεῖα, ἀρχαῖς εἶναι τῆς ὅλων ἀτόμοισι, καὶ κενόν: ἀπειροῦς εἶναι κόσμους, καὶ γνηθῶν, καὶ φθαρτῶν: πάντα κατὰ αἰάκην γίνεσθαι.* hæc autem ipsi uidentur, atomos, & uacuum. omnium rerum principia esse: innumerabiles esse mundos, qui geniti sint, & corrumpi possint: omnia necessario fieri. de atomis conuicit eum Aristoteles libro primo physicorum, de mundis libro primo de celo, de necessitate in libro de interpretatione, de uacuo libro quarto physicorum. quid mirum igitur, si Horatius noster hic illius sectatores irridere non dubitauit? **EXCLUDIT SANOS HELICONE POETAS**. idest præstantes esse posse poetas illos negat, qui sani ingenio sunt, nam Helicon mons est Musis dicatus. Aristoteles in poetice non multum à Democrito discrepuit, ubi hæc uerba leguntur. *δι' ὅθεν οὐδ' ἔστιν ἢ μακροῦ. τῶν τῶν γὰρ οἱ μὲν οὐ πλάστοι, οἱ δ' ἔξιστατικοὶ εἰσιν.* quare uel uersatilis ingenii uiri, uel furore perciti poetica est. etenim poetarum alij ipsa natura ad poeticam propensi sunt, alij autem ad inquirendum idonei. Plato etiam in Apologia non sapientes, sed furore quodam correptos poetas tantam copiam carminum effundere existimat, *ὅτι οὐ σοφία ποιῶν, ἀ ποιῶν, ἀλλὰ φύσει πνί, καὶ εὐθουσιάζοντες, ὡς περ οἱ θεομάντεϊς, καὶ οἱ χρησμοῶδοι.* quia non ob sapientiam canerent, quæ canunt, sed ob naturam quandam, & diuino furore afflati, ut deorum, et oraculorum interpretes. plura etiam Plato in Ione, quæ nos breuitatis causa reticemus. non igitur solus Democritus sensit, quæ diximus, sed cum eo etiam Aristoteles, et Plato. quid igitur? num hos etiam reprehendit Horatius? responde, non Democritum hic reprehendi, ut credidit Iason, & alij quidam putarunt. nam Democritus non spreuit artem, sed ea fortunatius ingenium esse dixit, sed eos irrideri, qui se Democriticos esse iactantes artem penitus neglexerunt, & ut solam naturam sequi uiderentur, ipsius etiam corporis ornatum, & curam contempserunt. quasi uero in eo munditiarum contemptu poetice posita esset. Cicero libro secundo de oratore Democriti sententiam probat, & interpretatur, his uerbis. saepe enim audiui poetam bonum neminem, id quod à Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicunt, sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. **BONA PARS**. magna pars. idem Horatius in satyris,

At bona pars hominum decepta cupidine falsi.

NON UNGVES PONERE. ut ociosi, & elegantes faciunt, libro primo epistolarum. ad Mecoenatem scribens Horatius,

conspexit, ut aiunt,

IN POETICEN HORATII

sultus libro decimonono Digestorum, titulo locati, & conducti, lege trigesima. Aedilis, inquit, in municipio balnea conduxerat, ut eo anno municipes gratis lauarent.

NANCISCETVR PRETIVM NOMEN QVE POETAE. [acquirit poetæ nomen, et pretium. per pretium auctoritatem intellige. nam qui despecti sunt, nullius pretii sunt. Catullus.

Rumoresq; senum seueriorum

Omnes unius aestimemus assis.

uel pretium posuit pro corona poetarum ex hedera, quam præmium doctarum frontium appellauit ode prima libri primi,

Me doctarum hederæ præmia frontium

Dijs miscent superis. & Virgilius in eglogis.

Pastores hedera crescentem ornate poetam.

Per nomen, salutationem poetæ accipe. unde supra,

Descriptas seruare uices, operumq; colores

Cur ego si nequeo, ignoroq;, poeta salutor?

SI TRIBVS ANTICYRIS. si nunquam tonsori Lycino commiserit, idest, tonderit, caput insanabile tribus Anticyris, idest ita stultum ut helleboro sanari non possit, non unius insulæ Anticyræ, quæ helleborum large parit, sed trium Anticyrarum, si modo tres essent. alibi Horatius de Anticyra sic,

Danda est hellebori multo pars maxima auaris,

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

De helleboro Plinius libro uigesimo quinto, cap. quinto, Dioscorides libro quarto, Hippocrates aphorismorum libro quinto, cap. primo. conuulsio, inquit, ex helleboro lethalis est. ubi Galenus sic. ijs qui helleborum acceperunt, album scilicet: hunc enim simpliciter album nominant. Carneadem quidem in Zenonem scripturum candido se helleboro aiunt perpurgasse. **TONSORI LYCINO.** de tonsoribus Plinius libro septimo capite quinquagesimo, sic inquit. frequens gentium consensus in tonsoribus fuit, sed Romanis tardior. in Italiam ex Sicilia uenere, post Romam conditam quadringentesimo, quinquagesimo quarto, adducente P. Ticinio Mena, ut auctor Varro. ante intonsi fuere. primus omnium radi quotidie instituit Africanus, sequens D. Augustus cultris semper usus. hæc Plinius. comam dijs uouebant ueteres pro salute. Pausanias in Atticis. ex Homero. ὃς τὸν πελέα δὲ ξάδα φησὶ τῷ ἀπὸ χειρῶν κερεῖν ἀνασωθῆναι ἐν ποίῳ ἀχιλλέως πρὸ κέρβω. qui Peleum uouisse ait Sperchio, se, incolumi reddito a bello Troiano Achille, comam attonsurum esse. dedecoris causa aliquando coma alicui tondebatur. Lucianus in Timone, ὃς πλοῦτους πρὸ κερῶν ὑπ' αὐτῆς. cum tu o Iuppiter ab ipsis, impuris scilicet hominibus attonsus sis. tondebantur in morte alicuius, quem unice diligebant. Arrianus libro septimo ubi de morte Ephestionis, καὶ κερῶν ἀλέξει σπονδῆς τῷ κερῶ πρὸ κέρβω. & Alexandrum in morte Ephestionis comam totondisse. item cum patria in potestatem hostium redacta erat. Herodotus in Era-

το, μισλήσι

το, μάλιστα πάντες ἀπικέροντο τοῖς κεφαλαῖς. Milesii omnes capita totonderunt. rasum caput signum erat seruitutis, unde Romani ciues, ut scribit Orosius libro quarto, cap. duodecimo, è seruitute in Græcia erepti depositis comis, capitibusq; abrasis T. Quinrij Flamminini liberatoris currum prosequuti sunt; ut indicarent, se olim in seruitute fuisse, modo illius uirtute liberatos postliminio in patriam redire.

XXXVI.

O ego læuus,
 Qui purgor bilem sub uerni temporis horam,
 Non alius faceret meliora poemata. uerum
 Nil tanti est. ergo fungar uice cotis, acutum
 Reddere quæ ferrum ualet exors ipsa secandi,
 Munus, & officium nil scribens ipse docebo,
 Vnde parentur opes, quid alat, formetq; poetam,
 Quid deceat, quid non, quò uirtus, quò ferat error.

Ironia utitur Horatius, & se artificiose increpat, qui ad horum hominum exemplum uitam non instituat. mox se in eos conuertit, seq; hanc potius conditionem exspectare ait, ut sine furore, & stultitia doceat, quæ ipse non scribit, quàm ut Democritorum uitam uiuens summus poeta habeatur. O EGO LAEVVS. ò me incautum, atque imprudentem. Virgilius.

=Si mens non læua fuisset,

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.

QUI PURGOR BILEM. hunc locum uerba Galeni declarare possunt, quæ sunt libro tertio de uictu acutorum, sectione secunda. Pitrocholes uinum dulce esse incommodum affirmat ijs, in quibus biles amara plurima coaceruatur. medici pro bile simpliciter flauam, & pallidam intelligunt: atram bilem totum hoc dicunt, non bilem simpliciter. hæc acetosa est, illa amara, quæ si aqueis humiditatibus miscetur, humida, & pallida uidebitur. edulia dulcia eam generant, præsertim mel, & uinum dulcia. hæc Galenus. Purgor bilem, in plerisque codicibus leges. in codice peruetusto, qui est apud me, qui fuit olim Romuli Amasæi, doctissimi uiri, ac ciuis mei, purgo bilem, inueni. utraque lectio probanda est. SUB VERNI TEMPORIS HORAM. hoc tempus purgationibus Hippocrates decernit, uer scilicet, ut tibi melius respondebit Odus medicorum huius, & superioris memoriæ facile princeps; qui Patauii tanquam alter Aesculapius medicinæ libros publice summo loco profiteatur. & Andreas Minutius Seruallensis docebit, qui in arte medica inter principes medicos excellit. horam dixit Horatius pro tempore anni, non simpliciter pro hora, quæ diem diuidit. sic Hesiodus libro secundo de operibus, & diebus, de grue loquens.

ἢ τ' ἀρορίο π σῆμα φέρει, καὶ χειμάρυς ὤρεω
 ἀδινυει ὀμβροῦ.

ρ

NON ALIUS FACERET, etc. quàm ego, nisi me purgarem. NIL TANTI EST. ut adduci possim ad imitandum insanos hosce Democriticos. FUNGAR VICE COTIS. quæ non ipsa secat, et ferrum tamen acuit, ut secet. sic ego cum nolim Democriticos imitari, poeta quidem non habebor, alios tamen poeticam artem docebo. similia sunt illa apud Philoponum libro primo in posterioribus Analyticis, ubi declarat illud Aristotelis, credibiliores esse propositiones conclusionem, quia illud magis est, propter quod unumquodque tale est. ob uinum homo ebrius est, uinum tamen non est ebrium. per enssem pereunt homines, ensis tamen magis non perit. calescimus per motum, motus non calidior. sol ignitus non est, ☉ calorem ciet. nam Aristoteles libro primo meteororum sic inquit. ὁ ἥλιος ὡς πῦρ μάλιστα δοκεῖ εἶναι θερμῆς, φαίνεται λευκῆς, ἀλλὰ οὐ πυρῶδης ὢν. sol ut maxime calidus esse uidetur, albus apparet, cum tamen ignitus non sit. nec dissimili ratione Hesiodus libro secundo de operibus, ☉ diebus.

δείξω δὲ τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
οὐτὲ πὶ ναυυλίνης σεβασμῆος.

Metra tibi resonantis maris rei nauticæ ignarus ostendam. quin uero Horatius Isocratis apophthegma retulerit, dubium cuiquam esse non potest. nam Plutarchi hæc uerba sunt in uita Isocratis. καὶ πρὸς τὸν δρόμῳ, διότι οὐκ ἔστιν αὐτῶς ἰκανὸς ἄλλους ποιεῖν, εἶπεν, ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι αὐτῶι μὲν τμήν εἰ δὲ αὐτῶι, τὸν ἵ σίδηρον τμητικὸν ποιούσιν. interroganti quid sit, quòd cum ipse in foro nunquam dicere auderet, alios tamen in eo præstantes redderet, respondit, etiam cotes ipsas quidem secare non posse, ferrum tamen, ut secare possit, exacuere. EXORS. sine sorte, ☉ facultate. Virgilius alio significatu. Ducunt Exortem Aeneæ. MUNUS, ET OFFICIUM. duæ hæc dictiones uel idem significant, uel diuersa: ut munus finem poetæ innuat. differunt enim inter se finis, ☉ officium. officium poetæ est imitari. nam ποιησις ἔστι μίμησις, ut ait in poetice Aristoteles. finis uero prodesse, ☉ delectare. Horatius paulo post. Et prodesse uolunt, ☉ delectare poetæ. Quintilianus libro secundo, cap. decimo sexto, hæc non distinxit, inquiens finem oratoris esse benedicere, non persuadere: cum officium sit benedicere, finis persuadere. Aristoteles libro primo topicorum. οὐτὲ γὰρ ὁ ἔμπροσθεν ἐν παντὸς τόπου πείσει, οὐτὲ ὁ ἰατρὸς ὑγιάσει, ἀλλ' ἐὰν τῆς εὐδαιμονίας μὲν δὲν πρῶταλίπη, ἰκανὸς αὐτῶν ἔχειν τὴν ἐπιστήμην φησὶ μὲν. nec orator omnino persuadebit, nec medicus sanabit, sed si ea, quæ afferri possunt, non prætermittet, satis ipsum peritum esse dicemus. VNDE PARENTVR OPES. inuentionem, intellige, quæ scribenti opes, ☉ copiam orationis suggerit. quòd si nulla subsit materia, et inuentio, erit inanis sonitus uerborum, ut ait Cicero libro primo de oratore. QUID ALAT, FORMET QVE POETAM. inuentio ipsa alit, reliquæ partes, et præsertim elocutio orationem format. ☉ materia quidem formam appetit. Aristoteles libro primo physicorum. ὁ δὲ τὸ εἶναι ἢ ὕλην, ὡς πῦρ εἰ θεῖον ἀρρενός, καὶ αἰγρὸν καλοῦ. hoc materia est, ut foemina marem, turpe pulchrum appetens. ualde ad hunc locum pertinent de materia, ☉ forma orationis illa Ciceronis uerba in oratore ad Brutum, de

materia loquor orationis etiam nunc, non de ipso genere dicendi: uolo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet quibus uerbis quicque dicat, aut quo modo.

XXXVII.

Scribendi recte sapere est & principium, & fons.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,

Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,

Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes,

Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quæ

Partes in bellum missi ducis, ille profecto

Reddere personæ scit conuenientia cuique.

Inuentionem, elocutionem, & decorum poeticum manare ait ex philosophiæ, quæ de moribus est, fontibus. nam inuentionem quidem ex philosophia locupletiores parari, nemini dubium est, de elocutione dubitare quispiam posset. nam philosophorum oratio pressior, & angustior est, poetarum copiosior, & amplior. respondet Horatius, illustri materia è libris philosophorum comparata, & prouisa, uerba ultro copiose dicenti occurrere, atque in buccam, ut aiunt, fluere, quibus ille sententias grauissimas uestiat, atque exornet. de decoro uero dubitandum non est, cum omnium personarum officia philosophia nobis aperiat. ut hic Horatius, & Cicero in oratore ad Brutum his uerbis testatur. nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de uirtutibus, aut uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi, & erroribus, quæ sæpe cadunt in causas, sed ieiunius aguntur, nihil inquam sine ea scientia, quam dixi, grauiter, ample, copiose dici, & explicari potest. SCRIBENDI RECTE, &c. sapere, inquit, idest sapientia, quæ philosophia comparatur, principium est, ac ueluti quidam fons recte scribendi. quod libro primo de oratore L. Crassus sic confirmat. sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in uitam, atque mores, duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiae nostræ: tertium uero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Plato in Phædro summum oratorem fuisse Periclem docet, quia sapientiam cum eloquentia coniunxerat. περὶ πασι δὲ οἱ μὲν τὸ πρῶτον οὐκ αἰσθάνονται, μετὰ τὸ λογισθῆναι ἐμπληροῦσθαι, καὶ ὑπὸ φῶσιν νοῦ τε, καὶ αἰσθάνεσθαι ἄνω κέλευστος, ὡν δὲ τῶν πλεονέχων ἐπιείρηστος αἰσθάνεται, ὡς τὸ δὲ εἰλκυσεν ἢ πλεονέχων λόγων τέχνη τὸ πρῶτον αὐτῆ. quem locum Platonis sic Cicero in oratore ad Brutum uertit. siquidem etiam in Phædro Platonis, hoc Periclem præstisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ phisici fuerit auditor, à quo censet eum, cum alia præclara quædam, & magna didi-

IN POETICEN HORATII

eisset, uberem, et foecundum fuisse, gnarumq; , quod est eloquentiae maximum, quibus orationis modis quaeque animorum partes impellerentur. REM. materiam, argumentum. SOCRATICAЕ CHARTAE. Platonis libri. in quibus passim disseminatae sunt Socratis disputationes. uel scripta philosophorum. nam ab uno Socrate omnes philosophorum familiae deductae sunt. M. Tullius libro tertio de oratore sic ait. nam quum essent plures orti fere à Socrate, quod ex illius uariis, & diuersis, & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat; profeminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se, & multum disiunctae, & dispares, quum tamen omnes se philosophi Socraticos & dici uellent, & esse arbitrarentur. Vnum Socratem sapientem esse oraculum respondit. quare Laerlius de Socrate carmen retulit.

ἢ σε γὰρ ὄντως

καὶ σοφὸν εἶπε θεὸς, καὶ θεὸν ἠσομένην.

Te reuera & sapientem deus dixit, & deum sapientia. VERBA QVÆ PRO VIS A M. elocutio, inquit, prae paratam inuentionem ultro sequetur, & comitabitur. tunc enim tibi uerborum fontes redundabunt. coniungit elequentiam cum sapientia, quas disiunctas queritur libro primo de inuentione, & libro tertio de oratore his uerbis. sed ut huius tamen eiusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates inuenti sunt, qui, cum ipsi doctrina, atque ingeniis abundarent, à re autem ciuili, à negocijs animi quodam iudicio adhorrerent; hanc dicendi exercitationem exagitarent, atque contemnerent, quorum princeps Socrates fuit. & post. hinc dissidium illud extitit, quasi linguae atque cordis, absurdum sane, atque inutile, & reprehendendum, ut alij nos sapere, alij dicere docerent. haec Cicero. sed Iacobus etiam Sadoletus Cardinalis in suis libris de laudibus philosophiae haec eadem deplorat. PATRIAE QUID DEBEAT. aggreditur praeccepta philosophiae, quae est de moribus. quam in primis poetis necessariam esse contendit. patriae autem debemus omnia. nam ortus nostri partem patria sibi, partem amici, partem parentes uendicant, ut docuit ex Platonis Phaedro Cicero libro de officiis. Paterculus quidem libro secundo de Aemylio Paulo, qui Persen uicit, sic scriptum reliquit. is cum in concione extra urbem more maiorum, ante triumphum diem ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est, ut, si quis eorum inuideat operibus, ac fortunae suae, in ipsum potius saeuiret, quam in remp. quae uox ueluti oraculo emissa magna parte eum spoliavit sanguinis sui. nam alterum ex ijs, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphum, alterum post pauciores amisit dies. Victores praeterea in sacris certaminibus patriae suas laudes condonabant, cui omnia debere se existimabant. Pindarus in Isthmijs ode tertia de Melisso Thebano.

καὶ πυξὲ θεῶν

ἰσσοσπομὶα κρητέων.

Per praconem Thebas nominauit equorum in cursu uictor. QUID AMICIS. pro his agendum μέχρι βωμῶν, idest usque ad aras, ut aiebat Pericles, teste Gellio li

bro primo, Lampridius in Alexandro sic. his accessit, quòd amicos, & parentes Alexander, si malos reperit, aut puniuit, aut, si uetus uel amicitia, uel necessitudo non fuit puniri, dimisit à se dicens. his charior est mihi tota ressp. amicus ipse, non amici fortuna diligatur. Diodorus libro decimo septimo de Alexandro Macedone. ἐπει γὰρ τις τῶν ἐταίρων εἶπε, μηδὲν κατὰ δέσπον ἢ Φαισίωτος τὸν κραταυρόν σὸν γὰρ, ἐπεὶ Φαίγξατος, κραταυρόν μὲν εἶναι Βιλαβασιλέα, ἢ Φαισίωνα δὲ Βιλαλέξανδρον. postquam ex familiaribus quidam dixit, Cratærum illum non minus, quàm olim Hephestion solebat, amare; respondit, Cratærum quidem esse Regis amicum, Hephestionem uero Alexandri amicum fuisse. notum est Aristotelis illud libro octauo de moribus ad Nicomachum. φίλος ἑτὸς αὐτοῦ, amicus alter ipse est. QVO SIT AMORE PARENS, &c. parentibus primus honor debetur μετὰ τοὺς θεοὺς, idest post deos. ut ait Plutarchus in libro περὶ φιλαδέλφειας. Oppius in triumuiratu seruientibus M. Antonio, Octauio, Lepido, patrem ætate confectum humeris sublatum ab urbe extulit, ut ab inimicorum hominum crudelitate eum eriperet. auctor Appianus libro tertio. hanc pietatem in suo Aenea Virgilius confinxit. QVO FRATER. Pollux, ut Castorem ab inferis educeret, ipse mortem obiit, non ueritus pro fratre mori. Plutarchus in libro de amore fraterno, Virgilius libro sexto. sic fratrem Pollux altera morte redemit. de his etiam Pindarus in Nemeis ode prima.

μεταμειβόμενοι δι' ἀλλήλων
ἀμδραν, τὰν μὲν πρὸ πατρὶ φίλων
δι' ἐνέμενται, τὰν δ' ἔπειτα κέτεσι γαίης.

Mutuo diem alternantes, hanc quidem apud charum parentem Iouem, hanc uero sub terra ducunt, & habitant. HOSPEs. declarat hoc Vlisses libro octauo odyssee, qui Corcyrenses omnes ad certamen, & ludicrum laccessit, præter hospitis Alcynoi Regis filium Laodamantem. ξένος γὰρ μοι ὁδε ἔστιν. hic enim mihi inquit hospes est. Aristoteles libro tertio rhetoricorum, ubi agit de metaphora, τοὺς γὰρ ξένους μᾶλλον θαυμάζομεν. hospites enim plus admiramur. libro nono ad Nicomachum, uulgatum apophthegma probat, τὸ μήτε πολλοξένος, μήτ' ἄξενος, neque multos hospites habens, neque nullos. Pindarus ode penultima olympiorum sic Corinthum laudat.

ἀμδρον ἀσοῖς,
ξένοισι δὲ θοράπντα γνώσομαι
τὰν ὀλβίαν κέλευθον.

Mansuetam, ac benignam ciuibus, hospitibus autem seruientem cognoscam felicem Corinthum. CONSCRIPTI. patres conscripti centum erant, quos in Senatum acciuit Romulus. horum filij patritij. Liuius libro primo. de horum officio Cicero philippica septima. est autem nostri consilij patres conscripti in posterum quamlongissime prouidere. iccirco in hac custodia tanquam in specula collocati sumus, ut uacuum metu populum R. nostra uigilia, et prouidentia redderemus. hæc Cicero. qui eos patres, et Sena-

IN POETICEN HORATII

tores describit, qui olim Romæ floruerunt, nunc Venetijs florent, quando hæc sola urbs Romanæ reip. quoddam instar habet. IUDICIS. Aristoteles libro quinto de moribus ad Nicomachum. ὁ ὕψι δικαστῆς βούλεται εἶναι, οἷς δίκαιον ἐμμελεῖν, καὶ ὕψι τῶσι δικαστῆν μέσον. Iudex quasi ius animatum esse debet: iudicem enim quærunt, qui medius sit, idest æquus omnibus, & neutram in partem nisi iuste propensus. IN BELLVM MISSI DVCIS. ut non solum cædem hostium optet, sed etiam det operam, ut ex suis, si fieri possit, neminem amittat: quod de Sylla refert Eutropius, qui bello Italico nullum ex suis desideravit: ne res præpropere gerat, sed cunctetur, quod de Q. Fabio scribunt Liuius, & Plutarchus, & alij. item alia seruet innumerabilia, quæ Socraticus Xenophon in Cyro effinxit. ILLE PROPECTO. qui hæc omnia præclare tenet, cuique personæ scit tribuere convenientia, idest τὰ πρέποντα. & sic in inuentione mirificus erit.

XXXVIII.

Respicere exemplar uitæ, morumq; iubebo
Doctum imitatore, & ueras hinc ducere uoces.
Interdum speciosa locis, morataq; recte
Fabula nullius Veneris, sine pondere, & arte
Valdius oblectat populum, meliusq; moratur,
Quàm uersus inopes rerum, nugæq; canoræ.

Poeta, qui omnium officia nouit in philosophia, quæ est de moribus, tanquam in quodam exemplari, in singulis personis propria officia explanet, quæ Horatius ipse proxime persecutus est. scit enim quid filio, quid fratri, hospiti, Senatori, Iudici, Imperatori conueniat. cuique igitur personæ quid reddendum sit, quasi quodam in exemplari uidebit, philosophiæ præcepta recolens. EXEMPLAR VITAE, MORVM QVE. quod ex philosophia comprehenderit, ut docuimus, generatim, sigillatim cuique personæ reddet. exemplar enim est Idæa, quæ, ut ait Plato in Parmenide, singularia omnia continet, & ab ijs seiuncta est. Aristoteles libro primo de cælo, ubi quæritur, unum ne sit cælum, an secus se res habeat. δόξειε ὕψι αὖ ὡδὶ σκοπον μίθους ἀδιέωτον εἶναι, καὶ μένον εἶναι αὐτὸν. εἰ ἅπασι ὕψι καὶ τοῖς φύσει, καὶ τοῖς ἀπὸ τέχνης γλυμψίσι, καὶ σωεσῶσιν ἔτδρον ὅστιν ἀσλή τε καθ' αὐτὴν ἢ μορφῆ, καὶ μεμυγμένη μετὰ τῆς ὕλης. sic ratiocinantibus uidebitur fieri non posse, ut unus mundus sit: in omnibus enim rebus & naturalibus, & artificiosis, aliud Idæa est, aliud ipsum corpus conflatum ex materia, & forma. DOCTVM IMITATOREM. doctum poetam. nam poesis imitatio est. Aristoteles in poetice, cum omnes poeseos species nominasset, sic addidit, πᾶσαι τυγχάνουσιν οἷσσι μιμήσεις τὸ σῶλον. omnes ad summam hoc consequuntur, ut sint imitationes. poeta autem arte naturam, & idæam imitatur. VERAS HINC DUCERE VOCES. habebit poeta ante oculos idæam uerbi gratia Senatoris, cum Senatorem loquentem inducet. ei uoces dabit ex

idæa uitæ, & morum erutas, quæ sint præclaræ, & graues; & Senatorem non effin-
get qualis uulgo in rep. esse solet, sed qualis esse debet. ueras hic uoces, idest honestas
exponimus. uerum enim pro honesto sumitur. Horatius libro primo epistolarum.

Metiri se quenque suo modulo, ac pede uerum est.

Libro secundo ad Atticum, epistola prima, quid uerius, quàm in iudicium uenire, qui
ob rem iudicandam pecuniam acceperit? SPECIOSA LOCIS. plus inquit de-
lectationis populo fabulæ afferunt, iocis, & facetijs refertæ, etiam si uerborum lumi-
na non eluceant, quàm quæ uerbis illustribus abundant, et quasi stellis insignitæ sunt,
si nullum, uel leue argumentum habeant. nam populus re plus, quàm uerborum le-
nocinio delectatur. Acron locis, non iocis legit, sic inquit. Si opportune fuerint indu-
ctæ personæ, aut locis, aut argumentis, ut non sit argumentum absurdum. hæc ille.
ego etiam locis libentius legerim, quia de argumentis è philosophiæ fontibus hauriendis
loquitur Horatius. Philosophia autem locos nobis argumentorum, & rerum suppedi-
tat, non iocos: grauis enim est, non iocosa. Horatius libro primo epistolarum ad Me-
cænatem scribens.

Nunc itaque & uersus & cætera ludicra pono,

Quid uerum, atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc sum.

MORATA QVE RECTE. quia dixerat, respicere exemplar uitæ, morumq;
iubebo Doctum imitatore. & sane in tragœdia sex requirit Aristoteles in poetice.
αἰάτιν δὲ πᾶσις τραγωδίασ' μὲν εἶναι εἰς, καὶ ἅ ποῖα τίς ὅτιν ἢ τραγωδία. ταῦτα
δ' ἔστι μὴθος, ἦθος, καὶ λέξις, καὶ διαίολια, καὶ ὄψις, καὶ μελοποιία. necesse est,
ut in omni tragœdia sex partes existant, quibus qualitatem tragœdia sumit. eæ uero
hæ sunt, fabula, mores, elocutio, sententia, apparatus, melodia. NULLIUS
VENERIS. sine uenustate floridorum uerborum. quam Dionysius in libro de
compositione sic expressit. τὸ δὲ πᾶσις τῶν λέξεσ' ὀλόπιμον, καὶ ὀλόκαλον. circa
diçtiones ambitio, & elegantia quasi quædam. MELIUS QVE MORA-
TVR. melius detinet. nam populus res, quæ dicuntur, curat, rationem dicen-
di despicit. unde Cicero de Hortensio in oratore ad Brutum. dicebat melius, quàm scri-
psit Hortensius. ad Hortensium tamen audiendum omnes undique confluebant; cum
tamen in corporis decoro motu plus studii, quàm in ipsa eloquentia poneret. Valerius
Maximus libro octauo, cap. decimo. QVAM VERSVS INOPES RE-
RVM. uersus inopes rerum, & nugas canoras uocat eorum poemata, in quibus præ-
ter uerborum florem nihil reperias. nulla enim sententia grauior, nullus philosophiæ lo-
cus tractatur. qualia Christophori Longolij scripta esse Lascharis censebat, & dictita-
bat. at dixerit quispiam: eloquentia sine sapientia stare non potest. cui ego respondeo,
hic ab Horatio non eloquentiam, sed loquentiam damnari. nam loquentes sunt, non elo-
quentes, qui sine grauitate sententiarum scribunt. pulchre Plinius libro quinto, episto-
la uigesima. Iulius, inquit, Candidus non inuenuste solet dicere, aliud esse eloquentiam,
aliud loquentiam. nam eloquentia uix uni, aut alteri: iam non sumus Antonii, ut

IN POETICEN HORATII

credamus nemini: hæc uero, quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit. hæc Plinius. cum hoc nosset M. Antonius, populum plus delectari sententijs, quam uerbis; dicere solebat, oportere se in iudicia nihil afferre, præter fidem, atque ingenium. auctor Cicero oratione I. contra Verrem.

XXXIX.

Græcis ingenium, Græcis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Vncia, quid superat? poteras dixisse, triens. en
Rem poteris seruare tuam? redivit uncia, quid fit?
Semis. ad hæc animos erugo, & cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & leui seruanda cupresso?

Græcos laudat, qui sapientiam ab eloquentia non disiunxerunt, sed utranque complexi sunt. mox in Romanos inuehitur, qui propter auaritiam liberos suos non in præclarissimis literarum studijs, sed in arithmetica, & mercatura exercent. GRAÏS INGENIUM. Græci semper disciplinis floruerunt, ante hos tamen Aegyptii. à quibus Pythagoras philosophiam accepit, quam primus in Græciam inuexit. Isocrates in Busiride, ὅς ἀποκέρμενος εἰς αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γινόμενος τὴν τε ἀλλω ὠλοσσοῦαυ πρῶτος εἰς εὐσ ἑλλωαδ' ἐκόμισε. Græci quidem ingenio, & literis, Romani armis excelluerunt. Cicero enim libro primo questionum Tusculanarum, doctrinam, inquit, Græcia nos, & omni literarum genere superabat, in quo erat facile uincere non repugnantes. nam cum apud Græcos antiquissimum è doctis sit genus poetarum, siquidem Homerus fuit, & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus. & quæ sequuntur. nunc etiam Græci aliquot doctissimi uiri uiuunt, qui Horatiana hac laude dignissimi sunt, è quibus sunt Georgius Comes Corinthius, & Franciscus Portus, quorum alter Venetijs, alter Ferrariæ plurimum rem literariam prouehunt. ORE ROTUNDO. eloquentia perfecta. tractum est à forma sphaerica, & circulari, quæ perfecta est. Cicero libro secundo de natura deorum sic. cumq; duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus; sic enim σφαιρα interpretari placet; ex planis autem circulus, aut orbis, qui κύκλος græce dicitur: his duabus formis contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimæ, à medioq; tantum absit extremum, quantum idem à summo. idem in libro de uersitate de Deo, & forma Mundi loquens: formam autem, & maxime sibi cognatam, & decoram dedit: à quo enim animante omnes reliquos contineri uellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur, & globosum est

sum est fabricatus. Aristoteles etiam libro primo de cælo, ubi de circulari motu cæli disputat, sic ait. ἀλλὰ μὴν καὶ πρῶτην καὶ αἰατικαῖον εἶναι πᾶσι πρὸς τὴν φορὰν. τὸ γὰρ τέλειον πρὸς τὸν τῆ φύσει τῶ ἀτελοῦς. ὁ δὲ κύκλος τῶς τελείων. Veruntamen hanc, ut ita dicam, lationem primam esse necesse est. nam, perfectum ut imperfecto prius sit, natura postulat. circulus autem ex perfectis formis est. hinc igitur Horatius rotundam eloquentiam Græcorum esse dixit. sic etiam Cicero in oratore ad Brutum loquutus est. Nam cum concisus ei Thrasymachus minutis numeris uideretur, et Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam uerba iunxisse; Thucydides autem præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus; primus instituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere sententias. PRAETER LAUDEM NULLIUS AUARIS. cupidissimis ita laudis solius, ut eius auari uideantur. honesta laus est. licet enim nobis esse laudis, & gloriæ cupidis. Pindarus in Isthmiis, ode quarta.

εἴ τις οὐ πολλῶν λόγων ἐσθλὸν ἀκούῃ,
μὴ μάλιστα ζῆλῶς ζῆνέσθαι.

Si quis multis officiis ornatus bene audias, et præclare, ne Iuppiter esse cupias. Ob solam laudem, qua illum Homerus extulerat, Achillem fortunatum esse putauit Alexander, cum in Sigæum uenisset. Cicero pro Archia. non igitur, ut quidam deblatterant, Græcos hic Horatius tacite ut ambitiosos carpit. ROMANI PVERI. Romanorum institutum damnat, apud quos pueri numeris operâ nauabant, non literis politioribus, et assēm in suas uncias diuidere uarie discebant. sic lib. 1. epist. ad Mecœnatem scribens Horatius.

O ciues ciues quærenda pecunia primum est,
Virtus post numos. hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt iuuenes dictata, senesq;
Læuo suspensi loculos, tabulamq; lacerto.

LONGIS RATIONIBVS. minutis, ideo longis, non scilicet ratiocinationi similibus, qua breuiter Hortensius argumenta in certa capita distribuebat. Cicero in diuinatione sic. quid cum accusationis suæ membra diuidere cœperit, et in digitis suis singulas partes causæ constituere? Quintilianus libro quarto, cap. ultimo. diuisionem Hortensii in digitos diductam uocat. ASSEM IN CENTVM PARTES. in plurimas, & minutissimas. numerus pro numero. de asse iam dicemus. FILIUS ALBINI. Albinus Romæ erat numularius. numularij autem in uico Iani mediij tabernæ, & mensas habebant. Cicero Philippica sexta sic. L. Antonio Iani mediij patrono. ita ne? Ianus medius in L. Antonij clientela sit? quis unquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille numum ferret expensum? Albini male audiebant ob auaritiam Romæ. Florus libro tertio, ubi de bello Iugurthino, sic ait. igitur sequens ultio mandatur Albino. sed huius quoque, proh dedecus, ita corripit exercitum, ut uoluntaria nostrorum fuga uinceret Numida, castrisq; potiretur. SI DE QUINCUNCE REMOTA EST VN CIA. quincunx quinque uncias ualet, triens quatuor. si quis demit unciam à quincunce, remanet triens: semis ualet

IN POETICEN HORATII

uncias sex . si uncia redit quincunci , idest accedit , ex quincunce fiet semis . Theophilus libro secundo institutionum , capite de hæredibus instituendis , sic ait de asse , eiusq; partibus . Hæreditas plerunque in duodecim diuiditur uncias , & uniuersa hæc hæreditas appellatur , habetq; partes in sese : quæ per propria nomina usque ad assem appellantur . sunt autem hæc . uncia duodecima pars hæreditatis : sextans idest duæ uncia , sexta pars : quadrans quarta pars , hoc est uncia tres : triens tertia , quæ uncias quatuor efficit : quincunx tertia pars , & duodecima , hoc est quinque uncia : semis dimidia , hoc est uncia sex : septunx dimidia cum duodecima , hoc est septem uncia : bes duæ partes è tribus , græce διποισρον , siue octo uncia : dodrans duæ partes è tribus , cum duodecima ; id ualet uncias nouem : dextans duæ partes è tribus cum sexta , idest uncia decem : dextunx duæ partes è tribus cum quarta , hoc est uncia undecim : as uncia duodecim . hæc Theophilus . Vlpianus etiam iurisconsultus libro uigesimo octauo Digestorum , titulo de hæredibus instituendis , lege decima tertia sic inquit . paterfamilias distribuere hæreditatem in tot partes potest , quot uoluerit , sed solennis assis distributio in duodecim uncias fit . TRIENS . quatuor uncia , & tertia pars assis . Cicero libro septimo ad Atticum , epistola octaua , Dolabellam uideo Liuiæ testamento cum duobus cohæredibus esse in triente , sed iuberi mutare nomen . EN . REM POTERIS SERVARE TVAM . uerba patris , uel populi sunt probantis pueri responsum . in codice illustrissimi Federici Cornelii non EN , sed ohe legimus : quæ uox est stupentis populi , uel fortasse etiam irridentis Horatii . qui in numeris subducendis tam acutus est , inquit , rem familiarem recte tuebitur . PECULI . opum . quid sit peculium , Vlpianus iurisconsultus libro decimo quinto Digestorum , titulo primo , lege quinta sic docuit . Peculium dictum est , quasi pugilla pecunia , siue pugillum patrimonium . peculium autem Tubero quidem sic definiuit , ut Celsus libro sexto Digestorum refert , quod seruus domini permissu separatim à rationibus dominicis habet , deducto inde , si quid domino debetur . fecit mentionem peculii Horatius artificiose , cum de parco homine loqueretur . nam peculium parsimonia paratur , ut in lege trigesima nona Florentinus iurisconsultus his uerbis annotauit . Peculium & ex eo consistit , quod parsimonia sua quis parauit , uel officio meruit à quolibet sibi donari : idq; uelut proprium patrimonium seruum suum habere quis uoluit . IMBVERIT . labefactarit . libro primo epistolarum , Quo semel est imbuta recens , seruabit odorem Testa diu . FINGI . scribi . expresit uerbum græcum ποιῆσαι , quod & fingi significat , & fieri . & ab eo poetæ dicuntur . LINENDA CEDRO . cedrus tineis non corrumpitur . scribit Plinius libro decimo tertio , cap. decimo tertio , libros Numæ in arca repertos , quos anni DXXXV . non corroserant . cuius rei rationem reddens & libros , inquit , cedratos , propterea arbitrari eos tineas non tetigisse . LEVI SERVANDA CUPRESSO . in beneolenti arbore . alioquin cupressus infelix arbor est . M. Varro libro de etymologia sic inquit . Cupressi mortuorum domibus ponebantur , ideo , quia huius generis arbor excisa non renascitur , sicut ex mortuo nihil iam est sperandum . quam ob cau-

sam in tutela Ditis patris esse putatur. Leuem cupressum uocauit priore syllaba longa, idest tangentibus non asperam, ut Virgilius. Tum leues ocreas electro, auroq; recocto, etc.

L.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ,
 Aut simul & iucunda, & idonea dicere uitæ.
 Quicquid præcipies, esto breuis, ut cito dicta
 Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
 Omne superuacuum pleno de pectore manat.
 Ficta uoluptatis causa sint proxima ueris,
 Nec, quodcunque uolet, poscat sibi fabula credi,
 Neu pransæ Lamiæ uiuum puerum extrahat aluo.
 Centuriæ seniorum agitant expertia frugis,
 Celsi prætereunt austeram poemata Rhames.
 Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
 Lectorem delectando, pariterq; monendo.
 Hic meret æra liber Sosis, hic & mare transit,
 Et longum noto scriptori prorogat æuum.

Varia hic præcepta sunt de fine poetarum, ut iuuent, uel delectent, uel utrunque præstent, ut breues in præcipiendo sint, ut uerisimilia fingant, non incredibilia prorsus; ut poemata utilitate, & delectatione temperent. sic enim fore librum immortalem sperare possunt. PRODESSE. profunt poetæ uariis modis, sed etiam fabularum allegoria, quibus, quid optimum in uita sit, prudenter edocent. unde Isocrates in oratione ad Nicoclem de poetis loquens sic inquit. *Δεῖ δὲ τοῦ λογιῶν ἢ παιεῖν, ἢ γράφειν τι κεχρησμένον τοῖς πολλοῖς μὴ δὲ ὠφελίμως τὰ βίω τῶν λόγων ζητεῖν, ἀλλὰ δὲ μὲν ποιεῖν.* qui, quod multis perplaceat, scribere, uel pingere aliquid uolunt, eos oportet non eorum scripta, qui oratione utilissimi sint, perquirere, sed eorum potius, qui fabulis sint referti. moribus etiam nos ad officium poetæ boni inflammant. Proclus in quaestionibus poeticis, *ἀπὸ τῶν ἠθικῶν λαμβάνειν τὰ εὖδισμα,* etc. cum loqueretur de poeta Platónico. VOLUNT. debent. uide quid supra annorauimus, ibi, Versibus exponi tragicis res comica non uult. DELECTARE. & reuera poetæ magis uoluptatem, quam res ipsas sequuntur. quare differre eos ab oratoribus, et quia liberius noua uerba fingunt, scribit Cicero in oratore ad Brutum, his uerbis. ego autem, etiam si quorundam grandis, & ornata uox est poetarum, tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis faciendorum, iungendorumq; uerborum, tum etiam nonnullorum uoluptati uocibus magis, quam rebus inseruiunt. libro secundo quaestionum Tusculanarum, de hac ipsa re clarius sic inquit. ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. sic ad malam domesticam disciplinam, uitamq; uibrantem, & delicatam cum accesserunt etiam poetæ, neruos omnes uirtutis elidunt.

IN POETICEN HORATII

recte igitur à Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos, et optimum reip. statum exquireret. **AUT SIMVL.** uel utrunque præsent, et iucundum, idest delectationem, & idoneum uitæ, idest quod utile est. particula, Aut, hic disiungit, non copulat. nam copulat apud Aristotelem libro primo in prioribus Analyticis, ubi sumitur pro, Et, περὶ τῆς ἑστὶ λόγος καὶ ἀφαιρέσεως, ἢ ἀφαιρέσεως τινός καὶ τινός. propositio est oratio affirmans, uel negans aliquid de aliquo. ubi Philoponus exponit ἢ pro καὶ. talis Homerus est, qualem hic summum poetam Horatius describit. nam in symposio Xenophontis hæc uerba leguntur. ὁ γὰρ πατήρ ἐπιμελούμενος, ὁ πῶς αὐτὸν ἀγαθὸς γινώσκων, ὡς ἀγαθὸν μὲν ἅπαντα τὰ ὀμίχρου ἐπιμαθῆναι. pater, cum diligentiam adhiberet, ut in uirum bonum euaderem, me, ut totum Homerum ediscerem, coegit. tales & alii. quorum nota est præstantia. **QUICQUID PRÆCIPES, ESTO BREVIS.** breuitatem commendat in præcipiendo, & sentiis, non in eloquendo. in eloquentia enim uerborum thesauri explicandi sunt. unde Zeno, ut est in oratore ad Brutum, compressis digitis dialecticam, explicatis rhetoricam significauit. **UT CITO DICTA.** ut docili homines ingenio cito, quid dictum sit, comprehendant. dociles autem sunt, qui cito intelligunt, ut Theopompus, quem frenis egere aiebat Isocrates, Ephorum uero tardum calcaribus. auctor M. Tullius libro tertio de oratore. quod Aristotelem de Theophrasto, & Callisthene pronunciaisse, Laertius scribit libro quinto in uita Theophrasti. ὡς τῶ μὲν χαλινῶ δίοι, τῶ δὲ κέντρῳ. in Theophrasto comprimendo opus esse freno, in excitando Callisthene calcari. **TENE ANTIQVE FIDELLES.** pauca autem melius memoria retinentur, quæ non præsentium, sed absentium est. Aristoteles in libro de memoria, & reminiscencia, ἢ δὲ ἄλλου, οἷς εἰκῶν καὶ μνημόσυνμα. alterius rei est, ut imago, et monumentum: neque enim omnes Themistocli pares sumus, qui artem sibi præmonstrari optabat, qua multarum rerum obliuisceretur, quæ sibi animo excidere non poterant. Cicero libro tertio de oratore, libro secundo de finibus. **OMNE SUPERUACVVM.** quicquid superuacuum est, & nimis amplum, manat, effluitq; e pectore tanquam aqua e uase pleno. quibusdam etiam quæ non sunt superuacua. Cicero in Bruto de C. Curione sic ait. memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. qui in iudicio priuato uel maximo, cum ego pro Titinia Cotta perorassem, ille contra me pro Ser. Næuio diceret, subito totam causam oblitus est, idq; ueneficiis, & cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. breuis igitur sit poeta in præcipiendo. **FICTA VOLVPTATIS CAUSA.** quæ fingis, inequit, ut delectes, sint proxima ueris, idest admodum uerisimilia: neque enim stulte fingendum est, & licentius. Aristoteles in poetice. οὐ τὸ τὰ γινώμενα λέγειν, ὅσοι ποιητῆς ὀφείλουσιν, ἀλλὰ οἷα αὐτῶν γίνονται, καὶ τὰ δυνατὰ καὶ τὸ εἰκῶς, ἢ τὸ ἀγαθὸν καὶ ὀν. non est poetæ officium res gestas narrare, sed quales fieri oportet, & quæ fieri possunt per uerisimile, & per necessarium. Horatius uerisimile tantum, Aristoteles etiam necessarium poetis proposuit. at melius sensisse uidetur hic noster. nam

tantum abest, ut poetæ necessarium exprimant, ut ea aliquando, quæ uerisimilia etiam non sunt, comminisci uideantur. Franciscus Robortellus quæstionem hanc excitat in suis commentarijs, quos in poetice Aristotelis edidit. Homerus, cæteriq; poetæ deos ambrosia uesci aiunt, nectâr imbibere, uulnerari, ut Venerem à Diomede, patere uiam ad inferos uiuis adhuc hominibus, esse Cyclopes, esse Sirenes, nebulas loqui, ut apud Aristophanem, mutari homines in feras Circeio poculo. hæc uero non esse uerisimilia quis non uidet? respondet Robortellus, poetæ aut in rebus secundum naturam mentiri, quod quilibet potest efficere, modo seruet uerisimile, & necessarium; aut præter naturam, duplici ratione, aut in rebus, quas hominum opinio comprobarit, aut quas nunquam antea audiuerimus. deos uulneribus affici, &c. uulgus iam opinatur. Cicero libro primo quæstionum Tusculanarum Homerum accusat, qui humana ad Deos transtulit, mallem, inquit, diuina ad nos. recte uidetur Robortellus. nam ut Aristoteles libro primo Topicorum scriptum reliquit, εὐδοξὰ τὰ δοκούντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τοῖς τοῖς ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ εὐδοξοῖς. probabilia sunt, quæ omnibus, uel plerisque, uel sapientibus uidentur, & his quidem uel omnibus, uel plerisque, uel maxime illustribus, & probatis. **NEC QVODCVNQVE VOLET.** fabula, inquit, non poscat, & cupiat sibi credi ea omnia, quæ ipsa uolet: prudentes enim nunquam induci in eam sententiam poterunt, ut temere fictis adhibendam esse fidem arbitrentur. sic Cicero oratione septima contra Verrem: nunc cum uiuum istum nescio quem produces, tamen ne id credi uoles? **NEVPRANSÆ LAMIAE.** non est fingendum, puerum alio Lamia extrahi, quem illa deuorasset. nam frigidum esset commentum. Lamias esse stryges interpretatur Alciatus libro octauo, cap. uigesimo secundo in suis Parergis, ubi hunc etiam sibi uersum Horatii enodandum arripuit, sed historiam ex Diodoro non adducit, qua sola locus hic Horatii plenius explicari, atque illustrari potest. Diodorus enim libro uigesimo historiæ sic inquit de Lamia. αὐτὸν γὰρ οὐ μὲν δεῖς κτῶν, καὶ σμίλακι σπηφεῖς, ἐν ᾧ μυθόουσι γεγονέναι βασίλισσαν λάμιαν, τῶν καὶ λέει διαφορᾶσθαι: δὲ δὲ τῶν τῆς Λυχῆς ἀγριότητος διατυπώσθαι φασὶν τῶν ὄψιν ἀσπίδος τὸν μὲν τῶν χρόνον διερωτῶν. τῆς γὰρ γνομνῶν αὐτῆς παιδῶν ἀπάντων τελευτῶντων βαρυσυμούσθαι ἢ ᾧ πάθει, καὶ φθονοῦσθαι τῆς τῆς ἄλλων γυναικῶν οὐτε κνίσις, κελύειν ἐν τῆς ἀγχιλάων ἕξαρ πάρεδοι τα βρέφη, καὶ πρὸς χῆμα ἀρκτείνδν: διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς μέχρι τῆς νῦν βίου πρὸς τοῖς νεπίοις διαμείδν τῶν ποδῶν τῆς γυναικὸς τῶν φήμιω, καὶ φοβῶν τὰ τὴν αὐτοῖς εἶναι τῶν τῶν περσιτοεῖαν. antrum immane erat, hedera, & smilace tectum, in quo reginam Lamiam natam esse fabulantur, forma excellentem: sed propter animi feritatem, ferinum eius uultum effinxerunt. nam cum obitu nato- rum omnium uehementius esset indignata, & aliarum mulierum foetibus inuideret, è complexibus matrum infantes eripi, & contrucidari statim imperauit. quare nostra etiam ætate, huius mulieris fama pueris, nomenq; formidolosum est, eiusq; mentio maxime eos metu conficit, ac percussos terret. **CENTVRIÆ SENIORVM.** ex

IN POETICEN HORATII

quibus centuriata comitia fiebant, idest generalia; non autem curiata, aut tributa. unde Cicero pro domo gloriatur, se centuriatis comitijs fuisse reuocatum, quibus non fuerat à Clodio eiectus. **AGITANT.** iactant, abijciunt, quod ait Demosthenes ἐκπροϊουσι. **EXPERTIA FRUGIS.** non utilia, sed delectantia tantum: senes enim, quod utile est, sequuntur. ut ait Aristoteles libro secundo rhetor. & libro octauo Ethicorum. dixit expertia frugis sumpta translatione ab agris, qui spicas inanes produxerunt, & steriles herbas progenuerunt. Virgilius in georgicis,

At si luxuria foliorum exuperat umbra,

Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

CELSI RHAMNES. Equites. tres erant equitum centuriæ Romæ, ut scribit Liuius libro primo, Rhamnenses à Romulo, Titienses à Tatio dicti, rege Sabinorum, qui post raptas Sabinas in urbem fuit receptus; Luceres, quorum ignorare se originem fatetur Liuius: at Plutarchus in uita Romuli à Lucumone Ethrusco, qui Romulo contra hostes opem tulit, appellatos affirmat. de equitibus uide quid referat in suo libro Guidus Pancirolus, clarissimus huius ætatis iuriconsultus, qui de equitum origine accuratius scripsit. Celso uocat, idest superbos. superbi enim ὑπερηφανοί, idest despiciunt, ut Græci loquuntur. Iasonis mihi sententia non probatur, qui celso, idest iuuenes exponit, quod senes curui sint, iuuenes erecti. **PRÆTEREVNT.** contemnunt, ut faciunt qui alicuius rei admiratione non capti in uia non consistunt. hoc προῖον apud Græcos significat. Demosthenes in oratione de falsa legatione, νῦν δὲ οὐ αὖ μὴ καθ' ἡμῶν ὑμᾶς ὀχλῆ, καὶ πρὸν λυπῆ, πρὸρατε. nunc uero, quod uos per diem molestia non afficit, & præsens dolore non conficit, negligentes præteritis. item πρᾶβαιεν in eadem oratione, καὶ τοῖς πονδᾶς πρᾶβαιον, et inducias præterierunt. **AUSTERA POEMATA.** quæ iuuant tantum, non etiam delectant: iuuenes enim delectant: iuuenes enim delectationem emolumento anteponunt. tractum à uino austero, non dulci. pulchre potest hic locus Athenæi uerbis explanari: is enim libro primo sic inquit, ex Aristophane, τὸν ἄθηνάϊον δῆμον οὐτε ποιητῶν ἢ δεῖλαι σκληροῖς, καὶ ἀσεμφοῖσιν, οὐτε περμνίσι σκληροῖσιν οἴνοις. Atheniensem populum nec poetis gaudere asperis, austeris ue, nec pramnijs austeris uinis. huc allusit Horatius austeram poemata nuncupans, epitheto a uinis sumpto. **OMNE TULIT PUNCTVM.** qui miscuit utile dulci, idest qui simul & iuuat, & delectauit, quando senes quod utile est, iuuenes quod iucundum expetunt, is demum omne punctum tulit, idest omnibus suffragijs laudatus est. punctum pro suffragio usurpatur. Cicero pro Muræna. tamen admonitus re ipsa recordor, quantum hæc quæstiones in senatu habitæ punctorum nobis Serui detraxerint. sumpta similitudo ab ijs, qui in comitijs, uel alibi omnibus suffragijs aliquid impetrant. licet paria suffragia apud Romanos uincere solerent. nam Dionysius Halicarnassens libro septimo, ubi, quemadmodum Coriolanus fuerit damnatus, scribit, sic inquit: μᾶς γὰρ, καὶ εἴησι τότε φυλῶν οὐσῶν, αἷς ἡ ψῆφος αἰεδύθη, τοῖς ἀπ' αὐτοῦ σῶς ἔχειν ὁ μαρτυροῦσιν. ὥστε εἰ δύο περὶ σὴλθον αὐτῶν φυλαί,

ὅτι τὴν ἰσοψηφίαν ἀπὸ πλεονασμῶν, ὡς πρὸς τὸ νόμον ἡξίου. cum una, & uiginti tunc tribus essent, quibus suffragiorum ius permetteretur, Martius nouem habuit, quæ illum absoluebant. quare si duæ adhuc tribus illi accessissent, propter parem suffragiorum numerum absolutus fuisset, quemadmodum lex postulabat. Cælius epistola secunda libri octaua familiarium, sensum Horatii de omni puncto sic expressit. certe inquam absolutus est, me præsentem pronunciatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in unoquoque ordine sententijs. HIC MERET AERA LIBER SOSIIS. hic liber, qui lectorem & delectat, & iuuat, dignus est, qui ematur. Sosiæ librarij sunt, & bibliopola. in epistola ad librum suum.

Vertumnum, Ianumq; liber spectare uideris,

Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

Meret æra, quia uendendus iure optimo est, non spernitur. Plato tres Pytholai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatus est. Aristoteles paucos libros Speusippi tribus talentis Atticis emit. Gellius libro tertio, cap. decimo septimo. uel meret, id est comparat. ET MARE TRANSIT. ad exterarum nationes legendus perfertur, Italia exit, quæ Adriatico, & Tyrrheno mari cingitur. sic alibi proficiscentes ex Italia innuit Horatius, libro primo epistolarum, ad Bullatium scribens, Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. & Cicero in oratore ad Brutum, sic. quid enim possem? cum abfuissem adolescens, & horum studiorum causa mare transissem? &c. quibus uerbis ea tempora indicat, quibus Rhodum, Athenasq; studiorum causa profectus est. at dixerit quispiam: latina lingua Italiae finibus inclusa erat, ut pro Archia innuit Cicero. quid igitur attinet latinorum poetarum libros mare transire, & ad exterarum nationes perferri, à quibus non intelligantur? responde, ciues Romanos, ut publicanos, in prouincijs fuisse dispersos. Cicero pro lege Manilia. ij latine sciebant, Barbari etiam ipsi latinam linguam discebant, unde Iugurtha Marium in acie cecidisse latine exclamauit, ut Romanis terrorem incuteret. auctor Sallustius. quid de Siculis, non ne ita scribit Cicero in diuinatione contra Cæcilium? in quo si te multum natura adiuuaret, si optimis à pueritia disciplinis, atque artibus studuisses, & in his elaborasses, si literas Græcas Athenis, non Lilybæi, latinas Romæ, non in Sicilia didicisses, tamen esset magnum. & quæ sequuntur. Valerius Maximus libro secundo, capite primo, ubi de Eumene rege Asiæ mentio est, quæstionem hanc prorsus dissoluet: eius enim hæc uerba sunt. magistratus uero prisca quantopere suam, populiq; Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi latine responsa darent. quinetiam, ipsa linguæ uolubilitate, qua plurimum ualent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia, & Asia, quo latinæ uocis honos per omnes gentes uenerabilior diffunderetur. PRO ROGAT AEVVM. quia mortui poetæ præstantes adhuc florente fama uiuunt. sic libro secundo odarum. Viuet extento Proculeius æuo. Xenophon in

libro de uenatione, ἐπὶ ἀβύτησιν. ἀλλ' οἱ ἔπαινοι αὐτῶν μεγάλοι ἐγλίοντο. mortui sunt, sed eorum laudes nunc claruerunt.

LI.

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus.
 Nam neque chorda sonum reddit, quem uult manus, & mens,
 Poscentiq; grauem persæpe remittit acutum:
 Nec semper feriet, quodcunque minabitur arcus.
 Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
 Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
 Aut humana parum cavit natura. quid ergo?
 Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
 Quamuis est monitus, uenia caret, & citharoedus
 Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
 Sic mihi, qui multum cessat, fit Chærilus ille,
 Quem bis, terq; bonum cum risu miror, & idem
 Indignor. quandoque bonus dormitat Homerus.
 Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Quia leges hætenus quamplurimas, & præcepta condendi poematis Horatius explicuit, ne quem rei magnitudo deterreret, cum se aliquando in errorem incursum esse intelligeret, hic rem longe planiorem reddit. ait enim se non id expetere, nec nos tam seueris legibus esse astrictos, ut nunquam liceat errare: ei tamen poetæ ignosci, qui cum ingeniose, & præclare multa scripserit, aliquas interdum maculas scriptis consperferit: homines enim sumus: quare, aliquando ut peccemus, necesse est. eum uero poetam omni uenia indignum censet, qui crebris erroribus refertus sit, ac multum cesset, ut perexiguus in eo nitor eluceat, at delicta sint pene innumerabilia. S V N T DELICTA T A M E N. sunt, inquit, quædam poetarum errata, quibus uenia condonanda est. Aristoteles quidem in poetice duplex poetarum erratum esse statuit, alterum per se, alterum per accidens, per se, cum in ratione poetica peccatur, per accidens, cum in alia disciplina, ut in geographia, in astrologia poetæ hallucinantur. priorem errorem grauius, posteriorem leuius feremus. ἀλλῆς δὲ τῆς ποιητικῆς διττὴ ἡ ἀμάρτια, ἢ μὲν ὑπὸ καθ' αὐτὴν, ἢ δὲ κατὰ συμβεβηκός. ἢ μὲν γὰρ προείλετο μίσθα δοῦν ἀδυναμίαν, ἀλλῆς ἡ ἀμάρτια: ἢ δὲ τὸ προείλεται μὴ ὀρθῶς, κατὰ συμβεβηκός. ἀλλὰ τὸν ἴστων ἀμφω τὰ δεξιὰ προβεβληκότα, ἢ δὲ καθ' ἐκείνην τέχνην ἀμάρτημα, οἷον τὸ κατὰ ἰατρικὴν, &c. poetices uero ipsius duplex peccatum est, alterum per se, alterum per accidens. itaque quod ad imitandum non imitabile sibi proposuerit, per se huius peccatum erit: proponere uero non recte, per accidens. quemadmodum utrunque dextrum latus equum promouentem, aut secundum unamquamque artem peccatum, uerbi gratia secundum medicinam. Lucanus igitur, qui Timanum

amnem

amnem in agro Paduano esse putauit, errorem admisit per accidens. est enim Timauus in agro Aquileiensi, ut nos contra Blondum probauimus copiose in Parergis libro secundo, cap. octauo. uersus Lucani sunt,

Aponus terris ubi fumifer exit,

Atque Antenorei dispergitur unda Timauī.

Virgilii etiam error est per accidens, qui ceruos in Africa ab Aenea confixos esse facit, cum in Africa nulli cerui oriantur: hæc enim non poetices artis sunt, sed geographiæ. at uero Catullus per se deliquit, atque errauit. qui cum epithalamium Thetidis & Pelei describendum sibi proposuisset, quasi quodam uento aliò raptus est, & puluinar, Ariadnæq; fabulam, à proposito digressus, multis uerbis persecutus est. iam igitur, quo modo Horatius, atque Aristoteles de poetarum erroribus sententiam tulerint, ex his, quæ adduximus, perspicuum est. **NAM NEQUE CHORDA.** musici etiam errant, cum chorda non reddit concentum, quem manus, uoluntasq; expetit. Boetius libro primo de musica, antiquam harmoniam septem chordis constituisse, scribit. & Plutarchus in libro item de musica est auctor, punitum ab Argiuis fuisse, qui pluribus, quàm septem chordis uti cœpit. **NEC SEMPER FERRET.** nec arcus semper ferit, quod minatur, idest non semper scopum attingit, in quem ictum dirigit. Lucianus in Nigrino præclare hanc sententiam expressit. οὐ μὴν πάντες ὄψοχα τοξόου σιν. non omnes ita sagittam mittunt, ut scopum feriant. Suetonius in Domitiano capite decimo nono sic inquit. sagittarum uel præcipuo studio tenebatur. post paulo. atque etiam ex industria ita quarundam ferarum capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret, nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopulo dissipatam dextræ manus palmam sagittas tanta arte direxit, ut omnes per interualla digitorum innocue euaderent. **VERVM VBI.** si, inquit, paucas inter res multas, recte scriptas, maculas offendero, non iccirco totum uolumen reijciam. nam pauci errores multarum rerum artificio, & nitore compensantur. **PLURA NITENT.** plures sunt uirtutes poematis, quàm uitia. nitent, dixit. nam uirtutes scriptorum quasi quædam lumina elucent. Quintilianus libro octauo sic. non solum fortibus, sed etiam fulgentibus armis pugnandum est. Cicero in oratore ad Brutum, de Demetrio. tum illustant eam quasi stellæ quædam translata uerba, atque immutata. **INCURIA FVDIT.** negligentia induxit. Socrates in sophista Platonis hanc cauendam sic monuit. οὐκ ἐπιόν, καὶ οὐκ ἀποδόν οἱ πως αἰαίδρωσ μέγαν τε, καὶ σιμὸν λόγον. considerandum est, & magna, grauiq; quæstio non est tam temere, timideq; prodenda. non loquitur hic Horatius de incuria illa, de qua Cicero his uerbis in oratore ad Brutum. sed quædam etiam negligentia est diligens. nam ut mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipsum deceat: sic hæc subtilis oratio, etiam incompta delectat. Horatius de uitiosa incuria, Cicero de laudabili agit. **AUT HVMANA PARVM CAVIT NATVRA.** non ego ijs delictis offendar, quæ natura humana non potuit cauere: homines enim sumus, quare errata omnia uitare non possumus.

IN POETICEN HORATII

duobus modis decipimur, quos Aristoteles libro septimo Ethicorum his uerbis comprehendit. Διοίσει τὸ ἔχοντα μὲν ἐπισήμιον, μὴ θεωρῶντα δὲ: καὶ τὸ θεωρῶντα περὶ τῆν, ἢ μὴ δὲ περὶ τῆν. differt, si quis rem probe teneat, at non animum aduertat: & si animum quidem aduertat, ea uero efficiat, quæ effici non debent. unde Demosthenes in oratione in Leptinem sicuti Deum admiratur Cononem Atheniensem, qui ex omnibus Imperatoribus solus nihil unquam bello amisit. μένος τῆς πάντων στρατηγῶν οὐ πόλιν, οὐ φρούριον, οὐ ναῦν, οὐ στρατιῶτην ἀπώλεσεν οὐδὲνα ἡγευμένος ὑμῶν. ex omnibus Imp. solus non urbem, non præsidium, non nauem, non militem ullum, cum uester esset Imperator, amisit. QUID ERGO? quid dicendum? se ipsum interrogat Horatius, mox ipse responsum subiicit. uide Quintilianum libro nono, cap. de figuris sententiarum. SCRIPTOR LIBRARIUS. more Socratis per inductionem probat, eos esse reprehensione dignos, qui sæpius, non qui raro peccant. & primum librarii scriptoris exemplo utitur, qui si semper in eundem errorem incidit, æqua se excusatione tueri non poterit: eum autem intelligit, qui à patrono dictata scribebat. Cicero libro primo de oratore. tum Sulpicius, ὁ δὲ diem Cotta nobis, inquit, optatum: quod enim neque precibus unquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret meditandi, aut dicendi causa, non modo uidere mihi, sed ex eius scriptore, & lectore Deiphyllo suspicari liceret, id spero nos esse adeptos. his uerbis Deiphylus scriptor, & lector Crassi dicitur. erant enim serui etiam lectores, anagnostæ. lege Ciceronis epistolam ad Vatinius libro quinto familiarium. quem scriptorem Cicero, & Horatius, eum amanuensem Suetonius in Tito, capite tertio, his uerbis nominauit. è pluribus comperi, notis quoque excipere uelocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum iocumq; certantem; imitari chirographa, quæcunque uidisset, ac profiteri sæpe se maximum falsarium esse potuisse. dicti autem, ut opinor, amanuenses, quòd manu, idest scribendo patronis præsto essent, ut alij erant à poculis, à secretis, &c. VENIA CARET. quia monitus, idem tamen adhuc peccat, idest in eodem scriptionis errore uersatur. idem de citharædo dicendum, qui eadem semper chorda oberrat. CHÆRILVS ILLE. fit ille Chærilus, idest similis Chæрили mali poetæ, qui in multis uersuum millibus paucissimos uersus edidit probos, & Alexandri Magni res gestas ausus est carminibus aggredi. ei grandem pecuniam Alexander largitus est, ut amplius non scriberet. Horatius libro secundo epist. ad Augustum scribens.

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chærilus, incultis qui uersibus, & male natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Maluit enim Alexander ab uno Lysippo fingi, atque ab Apelle pingi. ut ibidem Horatius, & Cicero libro quinto familiarium, in epistola ad Luceium. CVM RISVM IRROR. hunc Chærilum bis, terq; bonum cum esse uideo, idest duos, uel tres uersus elegantes fecisse, uideo, & miror. quia scio id temere, non de industria ei contigisse, uideo. quòd uero stultis hominibus aliquando boni uersus in buccam fluant, meo

cum ipse miror. stulti autem homines interdum recte sentiunt, non consulto, sed plane casu quodam: quod Aristoteles etiam scriptum reliquit libro primo rhetoricorum. τὸ μὲν ἐν πᾶσι οἱ μὲν εἰνὶ τῶν δὲ σιωπῆσαι ἀπ' ἕξως. ex multis alij temere, alij hæc consuetudine faciunt, quæ ab habitu proficiscitur. ET IDEM INDIGNOR. quemadmodum rideo, & miror, cum malum poetam ornatos aliquando uersus facere uideo: sic indignor, cum excellentem poetam lapsum esse animaduerto: id enim non propter imperitiam, sed propter incuriam factum esse intelligo. QUANDOQUE BONVS DORMITAT HOMERVS. Homerum pro bonis omnibus poetis nominauit. & quandoque pro quocumque usurpauit, ut libro quarto odarum, in ode ad Iulium Antonium.

Concines maiore poeta pleetro
 Cæsarem, quandoque trahet feroces
 Per sacrum cliuum merita decorus
 Fronde Sycambros.

sic etiam iurisperiti, ut Ciceronem præteream, boni auctores latinitatis, usurpant. Ulpianus libro uigesimo quarto Digestorum, titulo de soluto matrimonio, lege secunda: doctis actio filiae non erit adempta, quandoque sui iuris filia fuerit facta. Paulus libro uigesimo septimo, titulo nono, lege decimatertia: quandoque prædium domino cum fructibus uindicanti, doli exceptio non inutiliter opponitur, & quæ sequuntur. Homerus autem & ipse aliquando peccauit. eum Aristoteles in poetice reprehendit, quod lugentem Ulysses, uirum sapientissimum, ad Syllam induxerit, præter decorum summi uiri. τὸ δὲ ἀπρεπὸς, καὶ μὴ ἀρμόγιοντος, ὅτε θρῶος ὀδυσιῶς ἐν τῇ σὺλμῃ. indecori, & non conuenientis exemplum est, quando luctus Ulyssis ad Syllam describitur. DORMITAT. errat: cum enim dormimus, sensus sopiti sunt. sic cum erramus, uix euigilare uidentur. & somnus nobis inania spectra offert, quibus decipimur. nam ut scribit Philoponus apud Aristotelem in libris de anima, infelices felicibus per somnum pares sunt: in somnis enim & ipsi se locupletes, & omnibus bonis circumfluentes esse existimant. hinc dormire pro decipi usurpamus. VERVM OPERE IN LONGO. excusat Homerum, quod in longo opere dormitarit: longe enim plura in eo sunt, quæ laudem merent, quàm quæ reprehensionem. OBREPERE SOMNUM. errorem incidere, maculam conspergi. Flamminius. Et somnus placidis irrepit blandus ocellis. somnum dixit, propter antithetum: ante enim dormire uerbum protulerat. quare suspicor Horatium ad Homerum cæcum allusisse. qua de re nos plura diximus in Parergis libro secundo, capite decimosextimo. Pausanias etiam in Corinthiacis, ὁμηρον περὶ διεφθαρμῆς οὐδὲς ὀφθαλμοῦς, idest Homerum oculis corruptum, uel, ut nos loquimur, captum appellat.

LII.

Vt pictura poesis erit, quæ, si propius stes,
 Te capiet magis, & quædam, si longius abstes,

s ij

IN POETICEN HORATII

Hæc amat obscurum, uolet hæc sub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Duo genera poeseos, & picturæ ponit: quædam enim poesis est, quæ perfecta, & numeris omnibus absoluta acerrima doctissimorum hominum iudicia non timet, & quo diligentius excutitur, eo uidetur excellentior; similis scilicet picturæ clari, et præstantis artificis, quæ in luce quo magis spectatur, eo magis placet; et spirare uidetur. Quædam uero est poesis deterior, quæ leuiter tantum legenda est, & obiter. nam si eam perpendis, si ponderas, turpes labes tegere non poterit; similis picturæ, quæ a malo artifice adumbrata, non expressa, nec ullam præclaram speciem habens tenebras amat, non lucem, & longius stanti aliqua ex parte placet, propius consistenti risum mouet. **UT PICTURA POESIS ERIT.** picturam, et poesim ubique simillimas iudicari reperies. Aristoteles in poetice cum tragœdiam præstantiorum imitationem esse dixisset, ἡμᾶς δὲ μιμεῖσθαι οὐκ ἄρα τοῦ εἰκονογράφου, καὶ ὅτι ἐκεῖνοι ἀφιδόντες τῶν οἰκίῳ μέρει ὁμοίως ποιῶντες καλλίους γράφουσιν. nos oportet bonos pictores imitari, qui dum proprias, uerisq; similes imagines referre student, pulchriores depingunt. & alibi in eodem libro. est igitur, inquit Aristoteles, principium, ac uelut anima tragœdiæ, fabula, secundo uero loco mores, in quo etiam picturæ similis esse apparet: si quis enim fucis pulcherrimis tabulam fusim illinat, non æque sane delectabit, ac si imaginem albo tantum distinxerit. **SI PROPIUS STES.** præstans pictura te prope stantem, deterior procul remotum delectabit. Cicero in oratore ad Brutum de utraque pictura sic mentionem fecit. in picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca, contra alios nitida, læta, collustrata delectant. Plato in sophista, de picturis. δὲ τὸ τὰ μὲν πῶρῳθεν, τὰ δὲ ἐγγύθεν ὑφ' ἡμῶν ὁρᾶσθαι. quia alia procul stantibus, alia uero uicinis a nobis spectantur. **HAEC AMAT OBSCURVM.** deterior pictura in clarissima luce cerni non uult: non enim turpitudinem dissimulare posset, nisi in obscuro cerneretur. simili quodam modo Demosthenes oratione secunda pro Olynthijs, de Philippo. οὐτῶ καὶ τῆς πόλεως, καὶ τῆς τυραννῶν, ἕως μὲν αὐτῶν ἐξω πολέμοισιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἔστι. ἐπειδὴν δὲ ὁ μῦθος πόλεμος συμπλακῆ, πάντα ἐποίησεν ἐκδηλὰ. sic de ciuitatibus, & de tyrannis. dum enim in hostico bella gerunt, eorum domestica mala multis sunt ignota: postquam uero iis bellum ultro illatum est, omnes eorum labes detexit. **ARGUTVM.** subtile. Virgilius de exiguo equi capite, argutumq; caput. uel argutum, non tacens quod sentit, sed libere quasi resonans. Virgilius de arbore obstrepente, Forte sub arguta confederat ilice Daphnis. **HAEC DECIES.** mala semel, bona decies repetita placebit, licet satietas oboriatur etiam in rebus optimis, si sæpius repetantur. Dionysius in libro de compositione. κόρον γὰρ ἔχει καὶ τὰ καλὰ πάντα, &c. pulchra etiam omnia satietatem inducunt. quare laus

hæc præstantis poeseos, & picturæ uideri potest admirabilior, quæ eximiam conditionem habeant.

LIII.

O maior iuuenum, quamuis & uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi, consultus iuris, & actor
Causarum mediocris abest uirtute disertis
Messallæ, nec scit, quantum Casselius Aulus,
Sed tamen in pretio est. mediocribus esse poetis
Non homines, non dii, non concessere columnæ.

Iurisconsulti mediocres, tolerabiles sunt. poetæ nisi sint summi, exploduntur. O MAIOR IUVENVM. alloquitur ex Pisonibus, quibus librum hunc dicauit, eum, qui erat ætate prouectior. quasi alios, qui erant iuniores, poeticis præceptis non idoneos putet. sic Aristoteles libro primo de moribus ad Nicomachum à lectione suorum librorum iuuenes reiecit, διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκείος ἀκροατῆς ὁ νέος, etc. quare politices non idoneus auditor iuuenis est. *VOCE PATERNA.* fingi ad rectum eum ait paterna uoce, idest paternis præceptis ad ueram poeticen conformari. præcipua hæc laus parentum est, & summa liberorum felicitas, ut eorum institutionis cura parentibus sit antiquissima. Cornelius Tacitus in dialogo de oratoribus, lectissimis aliquot fœminis Romanis hanc laudem tribuit his uerbis. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Acciam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. *FINGERIS AD RECTVM.* conformaris ad rectam poetices imitationem. tractum à figulis, qui fingere dicuntur. libro septimo græcorum epigrammatum.

ψυχὴν τῆς ψυχῆς ἑαυτοῦ ἀπέσπασεν ὄψως.

Animam animæ meæ ipse amor effinxit. *ET PER TE SAPIS.* sic in epistola ad Scæuam.

Quamuis Scæua satis per te tibi consulis, & scis.

Hesiodus, cuius sententiam apud Liuium libro duodecimo Minutius è manibus Annibalæ ereptus Fabio exponit, triplex ingenium esse docet lib. I. de operibus, et diebus: primum, quod quidem per se sapit: alterum, quod recte monentibus obtemperat: tertium, ac perditissimum eorum hominum, qui nec ipsi prudentes sunt, nec monentibus morem gerunt. Hic Pisonem Horatius laudat, & quod patri dicto audiens sit, recte monenti, & quod ipse etiam per se sapiat. quod hic Horatius, per te sapis, dixit. Hesiodus sic. ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει. quod supra. uoce paterna fingeris ad rectum. sic Hesiodus.

ἔσθλ' ὃς δὲ αὐτῷ καὶ κείνος, ὃς δὲ εἰπὼν ἔπιθῆται.

Et ille bonus, qui recte consulenti paret. *TOLLE.* tolle memor tibi hoc dictum, idest

IN POETICEN HORATII .

audi, quod dicturus sum, & in memoria habe. **MEDIUM, ET TOLERABILE.** mediocritatem, & non excellentem cognitionem rerum. **CERTIS REBUS.** quibusdam tantum, non generatim omnibus. nam poetice mediocris tolerabilis non est. **CONSULTVS IVRIS, ET ACTOR CAUSARVM.** iurisconsultus, & patronus. hos distinxit, quia non idem profitebantur. patronus causas agebat: at iurisconsultus domi tantum de iure respondebat. M. Tullius libro primo de oratore. in eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non esse difficile oratori, eius partis, quamcunque defendat, auctorem aliquem inuenire, à quo cum amantatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis, uiribusq; torquebit. idem in topicis. priuata enim iudicia maximarum quidem rerum, in iurisconsultorum mihi uidentur esse prudentia. nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio, & patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. huc alludens Quintilianus libro nono, capite de compositione, sic inquit. quare mihi compositione uelut amentis quibusdam neruis intendi, & concitari sententiæ uidentur. Horatius libro primo epistolarum, ad Iulium Florum scribens.

Seu linguam causis acuis, seu ciuica iura

Respondere paras, seu condis amabile carmen.

Tria dixit, seu patronus es, seu iurisconsultus, seu poeta. ABEST VIRTUTE DISERTI MESSALLAE. refertur ad eum, qui cum actor causarum mediocris sit, Messalla diserto multo est inferior. de quo Cicero in Bruto sic. M. Messalla minor natu, quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere uerborum, prudens, acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis, componendisq; diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumq; causarum. hæc Cicero in Bruto, qui in oratore ad Brutum ab Horatio dissentit, ubi difficilius esse ait oratione uti, quam uersibus. quam sententiam hic Horatius aperte refellit, cum mediocritatem in oratoribus, non in poetis tolerabilem esse contendat. uerba Ciceronis hæc sunt. quo etiam difficilius est, oratione uti, quam uersibus: quod in illis certa quædam, & definita lex est, quam sequi sit necesse; in dicendo autem nihil est propositum, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. responde Horatium causæ suæ seruire. nam præter alia argumenta, quibus colligere, & conuincere possumus, oratoriam artem esse poetica difficiliorem; illud in primis spectandum est, quo libro primo de oratore Cicero utitur, oratoriam artem esse minus facilem, quia boni oratores rariiores, quam boni poetæ semper extiterunt. quo argumento à raritate Aristoteles libro primo rhetoricorum aurum cæteris metallis pretiosius esse affirmat. καὶ τὸ ἀραιότερον τῆς ἀφ' ἰσούου, οἷς χρυσοῦς σιδηροῦ ἀχρυσότερον ὄν. & id, quod rarius est, melius eo est, quod uile, ut aurum ferro, cum minus in usum ueniat. **NEC SCIT QVANTVM CASSELLIVS AVLVVS.** refertur ad consultum iuris, qui non ea eruditione in iure ciuili, qua A. Cassellius, polleat, & tamen in pretio, numeroq; sit, quia mediocres iurisconsulti inter alios locum habeant. de hoc A. Cassellio Pomponius in

risconsultus libro primo Digestorum, titulo de origine iuris, lege secunda sic ait. fuit A. Cassellius, & Q. Mutius Volusii auditor. & post. ex his Trebatius peritior Cassellio, Cassellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur. Cassellij scripta non extant, nisi unus liber Bene dictorum. SED TAMEN IN PRETIO EST. licet mediocris sit. sic Cicero libro primo de oratore. quis enim non uideat C. Lælio æquali meo magno honori fuisse, homini nouo, illam ipsam, quamcunque assequi potuerit, in dicendo mediocritatem? quis uestrum, æqualem meum Q. Varium, uastum hominem, atque foedum, non intelligit, illa ipsa facultate, quamcunque habuit, magnam esse in ciuitate gratiam consequutum? NON HOMINES, NON DII, NON CONCESSERE COLUMNÆ. mediocritatem in poetis ferunt nec homines, qui in theatris poemata audiunt, nec Dii, quorum festis diebus carmina recitabantur, uel qui in theatris picti erant; nec columnæ in theatris erectæ. columnis sensum tribuit more poetarum. sic Plato in Euthydemo, ubi Euthydemum ab ijs omnibus, qui eum in Lyceo audierant. fuisse irrisum ait, καὶ οἱ κίονες οἱ ἐν τῷ λυκείῳ ἐδορυμένον τ' ἄδῃ οἷν αἰ σποῖν. & columnæ, quæ in Lyceo sunt, uiris illis obstreperunt.

LIIII.

Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inuentumq; poema iuuandis,
Si paulum summo discessit, uergit ad imum.

Similitudine probat, poetas esse omnino summos, atque excellentes debere. quem admodum, inquit, in conuiujs lautissimis musica si concors non sit, unguentum non bene olens, mel insipidum, ac papauer, & quidem si maxime proba hæc omnia non sint, conuiuas offendunt, quia uel optima hæc omnia fuerunt adhibenda, uel omnino repudianda: nam conuiuio necessaria ita non sunt, ut dimitti non possint: sic poemata, si excellentia non sunt, non probantur. nam etiam sine his sensa animi eloqui possumus, ut oratores faciunt. VT GRATAS INTER MENSAS. ueteres, ut nostra etiam ætate principes uiri faciunt, musica ad mensam utebantur. Lucianus in Prometheo, τὸν αἰθέρων δὲ τὸν διττὸν θεῶν δὲ τῷ αὐλητῇ ἐδωρήσατο καλῶς αὐλῆ ἄνδρα πρὸς τὸν πόρον. hominem bicolorum, duplicem uel Thespidi tibicini, qui in conuiuio recte concinuerat, dono dedit. Virgilius de conuiuio Didonis,

Cithara crinitus Iopas

Personat aurata, &c.

SYMPHONIA DISCORS. harmonia nullum concentum reddens. de symphoniis in oratione septima contra Verrem, & pro Milone. CRASSVM VNGVENTVM. Plinius libro decimo tertio, capite tertio de unguentis scribens, at hercule, inquit, iam quidam etiam in potu addunt. Suetonius in Nerone, cœnationes læ-

queatæ tabulis eburneis uersatilibus, ut flores ex fistulis, & unguenta de super spargerentur. sed de hoc plura scripsimus in Parergis libro secundo, capite decimo sexto, contra Erasmum. SARDO CVM MELLE PAPAVER. in cœnis etiam papauere uescebantur, ut altius noctem edormirent. Plinius libro decimo nono, capite octauo de papauere sic. Candidum, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos edebatur. Sardum autem mel, & Corsicum propter amaras herbas teterrimum est. DVCI. protrahi. SINE ISTIS. si bona fuissent, delectassent, ut quædam cœnæ condimenta. fuerunt deteriora, ergo superuacanea. ANIMIS IUVANDIS. alij omnes poema hic exponunt inuentum ad delectandum tantum fuisse: sed mihi hallucinari uidentur: cum hic Horatius de perfecto poemate disserat, non de mediocri, ut clarissime patet: perfectum autem poema esse superius dixit, quod & iuuat, & delectat. omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, lectorem delectando, pariterq; iuuando. & mihi quidem Horatius hic mirificus uidetur, qui uno uerbo utrunque ingeniose significauit. nam iuuare, prodesse, ut notum est, significat, atque etiam delectare. Virgilius,

Nam neque metantum uenientis sibilus Austri,
Nec percussa iuuant fluctu tam littora, &c.

M. Antonius Maioragius, uir doctissimus, alios sequutus est, ratus hic Horatium poematibus delectationem tantum tribuere: nam in oratore ad Brutum illa uerba declarans de poetis, tum etiam nonnullorum uoluptati uocibus magis, quam rebus inserviunt; ad id probandum hunc Horatij locum adduxit, his uerbis. alibi tamen idem Horatius fatetur, inuenta fuisse poemata uoluptatis tantum causa, cum ea similitudine utitur, Ut gratas inter mensas. & quæ sequuntur. hæc ille. quanquam inficias non ierim, poema inuentum magis ad delectationem, quam ad utilitatem esse, & hoc fortasse inuuisse Horatium. sed, ut illud solam uoluptatem parere existimem, nunquam inducar. nam apud Platonem in Gorgia, ubi hæc quæstio agitur, post multa hæc uerba de poetice leguntur. δὴ λέν δὴ ὄρεται, ὃ σὺν ἡδονῆς, ὅτι περὶ τὴν ἡδονὴν μᾶλλον ὠρεται. hoc sane perspicuum, o Socrates, est, quod ad uoluptatem magis spectat. si aduersarius dixerit quispiam, in conuiuio utilitas ex poemate non queritur: ei respondemus, Iopam apud Virgilium cecinisse non quæ ad uoluptatem tantum, sed etiam quæ ad utilitatem pertinent.

Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores,
Vnde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes,
Arcturum, pluuiasq; Hyadas, geminosq; Triones,
Quid tantum oceano properent se tingere Soles
Hyberni, uel quæ tantum mora noctibus obstet.

SI PAVLVM SVMMO. si poema à summo paulum discessit, idest si paulum ab excellentia, & perfectione recedit; uergit ad imum, idest extremi ordinis fit, & negligitur. summum, & imum opposita sunt. Aristoteles libro secundo de coelo.

Pythagoram

Pythagoram reprehendens, quod in coelo dextrum duntaxat, & sinistrum posuisset, sic inquit, λέγω δὲ Τρία, τὸ αἰῶ, καὶ καίτω, καὶ τὸ πρόσθεν, καὶ τὸ αἰπικέμενον, καὶ τὸ διεξιόν, καὶ τὸ ἀρῖστρον. tria opposita dico, sursum, & deorsum, prius, & eius oppositum posterius, & dextrum, & sinistrum.

L V.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ, disci ue, trochi ue quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.
Qui nescit, uersus tamen audet fingere, quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, uitioq; remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerva.

Arrogantiam indoctorum hominum increpat, qui cum poetices prorsus expertes sint, carmina tamen facere conantur, cum in alijs artibus hoc non usu ueniat. nam qui se armorum ludicro non exercuit, in campi Martij harenam non descendit: qui pila, disco, trocho ludere nescit, alios ludentes spectat, ipse conquiescit, & ex ea re, in qua peritus non est, gloriolam non aucupatur. at dixerit quispiam ex hominum arrogantium numero, sum ingenuus, alto loco natus, equestri dignitate honestatus, cur uersus mihi non liceat condere? respondet Horatius, nihil esse inuita Minerva tentandum. & mihi quidem uidetur Horatius bellissime locum Platonis in Protagora uertisse: ubi Socrates Protagoram, qui se docturum profitebatur, quo modo quis præclare familiam, & remp. gubernet, sic alloquitur. ὄρα δὲ οὐκ ὅταν συλλεγώμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐπειδὴν μὲν ποδὶ οἰκοδομίας πὶ δὴν πρῶται τὴν πόλιν, ὅς οἰκοδόμους μεταπειρημένους συμβούλους ποδὶ τῆς οἰκοδομημάτων: ὅταν δὲ ποδὶ ναυπηγίας, ὅς ναυπηγούς. & paulo post. εἰ δὲ τις ἄλλος ἐπιχειρῆ αὐτοῖς συμβουλεύειν, ὃν ἐκεῖνοι μὴ οἴωνται δημοεργῶν εἶναι, καὶ πάνυ καλὸς ἢ, καὶ πλούσιος, καὶ τῆς γλῆναιῶν, οὐδὲν πὶ μᾶλλον ἀπείχοντα, ἀλλὰ κατὰ γλώσσι, καὶ ἰορροβοῦσι. uideo ego, cum in concionem conuenimus, si quid fieri oporteat, quod architecturæ artis sit, architectos, qui in ea re doceant, quid faciendum sit, accersi: quando autem de re nauali agitur, nauium magistros acciri. at si quis alius consuleri conetur, quem artificem non esse omnes sciant, etiam si ualde pulcher sit, diues, ingenuus, & generosa domo ortus, eius tamen non iccirco auctoritatem sequuntur, sed irrident, eiq; crebris pedum suppletionibus obstrepunt. CAMPESTRIBVS ARMIS. quæ in campo Martio tractabantur. uide M. Tullium pro Cælio, Vegetium libro primo, ubi solitos se ueteres exercere inuenies saltu, cursu, uectæ, quo ludicro exercuisse milites Pompeium ait. Scutis uimineis ad palum ludentes utebantur, capite decimo. sagittis, capite undecimo. mox natantes sudorem Tyberi abluebant, cap. decimo. PILAE. uel sphaera. Athenæus libro primo, σφαι-

IN POETICEN HORATII

εἴρουσι δὲ πρὸς ἄλληλους οὐ μόνον αἰσχροὶ, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες. apud Homerum sphaera non solum uiri, sed etiam foeminae se exercent. DISCI. Corcyrenses libro octauo odysseae cum Ulyssse disco ludunt. discus lapideus erat, solos ferreus, in altum, & in longum conijciebatur: erat autem rotundus. Eustatius libro secundo iliadis, δίσκος ἔστι βαρὺς λίθος, ὃν ἐρρίπτουν οἱ γυμναζόμενοι: τὸν γὰρ σιδερεῖν, σόλον περὶ σαγορδύχοι. discus grauis lapis est, quem se exercentes proieciabant. ferreum enim solon appellant. Philostratus in Hiacynthi imagine, ὃ δὲ ἐν ποσὶ δίσκος. ad pedes discus positus erat. mox addit, ut, ludente Apolline cum Hiacyntho, Boreas, qui puerum illum perditissime amabat, inuidia flagrans, aduersissimo flamine discum in Hiacynthum detorsit. quo ille ictu deperijt. TROCHI. trochus rotula erat, qua pueri ludebant. trocho etiam de fontibus supplicium sumebatur. Aristophanes in Pluto.

ἄντ' τῶ Τροχῷ γὰρ θεῖ σε ἐκεῖ στυβλῶν μύλον
εἰπεῖν ἂν πεπαιχτοῦ γυναικός.

Te trocho discruciatum oportet fari, quae patraisti. si trochus rota est, ut ait Acron. Capitolinus de supplicio trochi intelligit his uerbis in Macrino. tribunum, qui excubias deleri passus est, carpento rotali super adnexum per totum iter uiuum, atque exanimum traxit. SPISSAE CORONAE. frequentes homines, qui in campum Martium spectatum uenerunt, & corona constiterunt. RISVM TOLLANT. qui maximam iram irriso excitare solet. Herodotus in Polymnia, ubi Mardonius Xersem ad bellum Graeciae inferendum cohortatur. καὶ ἰωνεῶν τῶν ἐν τῇ εὐρώπῃ κατοικημέλιους, ἔσσι εἰσὶν ἡμεῶν καὶ ἀγαλλῶσαι ἡμῶν; & Iones, qui domicilium habent in Europa, quos risum in nos tollere sines? QUI NESCI, VERSVS TAMEN AUDET FINGERE. sic libro secundo epistolarum, ad Augustum scribens.

Nauem agere ignarus nauis timet. abrotanum agro

Non audet, nisi qui didicit, dare. quod medicorum est,

Permittunt medici, tractant fabrilia fabri,

Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Causam huiuscemodi arrogantiae retulit Aristoteles libro primo rhetoricorum, ὅτι πάντες, καὶ τὰ αὐτῶν ἀγαθὰ καὶ τὰ κακά εἶναι πάντων, omnes sunt se ipsos amantes, & sibi sumunt, unde necesse est, ut sua omnibus perplaceant. QUID NI? imperiti poetae uerba. cur uersus non faciam? cum sim liber, & ingenuus, &c. LIBER, ET INGENVVS. ingenuus est, qui nunquam seruijt ingenuo patre natus: liber seruisse potest. Iustinianus libro primo institutionum ciuiliu. CENSVS EQVESTRIS. de censu equestri supra diximus contextu trigesimo octauo. VITIO REMOTVS AB OMNI. nullis uitijs coopertus. ut Cicero loquitur. hoc non consequitur, ut quis bonus poeta sit, quod sit ab omni uitio remotus. nam laborandum, & desudandum est, ut in poetice excellas. Pindarus in olympijs ode quinta.

αἰεὶ δ' ἄμφ' ἀρετῶν σὶ πόνοσ. &c.

Semper circa uirtutes labor. nulla enim uirtus naturalis est: quae in contemplatione

fitæ sunt, disciplina comparantur; quæ in actione, consuetudine. cuius rei hoc signum affert Aristoteles libro secundo ethicorum; quod naturalia non immutantur, at uirtutes, quas antea non adepti eramus, mox studio comparantur. lapis, inquit, qui natura deorsum fertur, ut sursum feratur, nunquam assuescere poterit, nec ignis ut deorsum tendat. Seneca libro uigesimo quarto epistolarum: semina, inquit, nobis scientiæ natura dedit, scientiam non dedit. TV NIHIL INVITA. uerba Horatii sunt. nihil ages, nihil dices Minerva inuita, idest tuo ingenio reluctante. nam si diues si nobilissimus es, non ideo poeta putaberis. at tu si inuitis musis lauream tentabis, nihil proficies. Mineruam posuit Horatius pro naturali propensione. de qua Aristoteles in prædicamentis. ἔτδρον δὲ γλιος ποιότητος, καὶ ὁ πυκνωτὸς, ἢ σφοδρωτὸς, ἢ ὑγεινὸς, ἢ νοσώδεις λέγομεν. καὶ ἀπλῶς ὅσα καὶ δὲ δῖνα μιν, φυσικῶν ἢ ἀδυναμίας λέγεται. alterum genus qualitatis est, quo aptos ad pugillatum, ad cursum, ad ualetudinem, & morbum aliquos dicimus. quod ea omnia referimus, quæ à naturali potentia, uel impotentia dicuntur.

LVI.

Id tibi iudicium est, ea mens. si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras, nonumq; prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris. nescit uox missa reuerti.

iudicium aliorum exquirendum esse, & multum temporis in emendatione consumendum ait, antequam scripta in lucem edantur. ID TIBI IUDICIVM. tu quoque, quæ ego, sentis, nec consiliis meis eges. hoc tamen tibi in memoriam redigam, ut tua scripta Metio, patri Pisoni, mihi corrigenda præbeas ante, quàm ea publices. OLIM. in posterum. neque enim ad præteritum tempus semper hæc dictio referatur. Virgilius.

Adueniet iustum pugnae, ne accersite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque alpes immittet apertas.

METII IUDICIS. ne uidearis nimium tibi arrogare. Plutarchus in libro an resp. à sene administranda sit, καὶ μὴν γαίω λαλιῶ σκιπίων ἐχῆτο συμβούλω στρατηγῶν ἀεὶ, καὶ πλιτὸν ὄμνος. ὥστε καὶ λέγειν αἰῶνος ἀποκριτῶν τῶν πρὸς ξείνων σκιπίωνα, ποιητῶν δὲ τὸν γαίον. Scipio C. Lælium consulebat & cum Imperatoris personam, & cum senatoris sustinebat. unde quidam aiebant, Scipionem esse aetionum hypocritam, Lælium uero poetam. AVRES. quæ quasi animi fenestrae sunt, ut cæteri sensus. Cicero libro quaestionum Tusculanarum. uel quia aures ipsæ scripta acerrime iudicant. Cicero in oratore ad Brutum sic. Consule ueritatem, reprehendent. refer ad aures, probabunt. quare, cur? ita se dicent iuuari. uoluptatem autem aurium mo-

IN POETICEN HORATII

vigerari debet oratio. & alibi. quamuis suaves, grauesq; sententiæ, tamen, si incone-
ditis uerbis efferuntur, offendent aures, quarum est iudicium superbissimum. **NO-**
NVMQVE PREMATVR IN ANNUM. in multos annos castigetur.
numero impari usus est, quia felicior. Plutarchus in problematibus, ubi quærit cur in
nuptiis quinque lampades gestarent, ὄν βελπίων, καὶ πλεϊότδος ὁ πῶδ' ἴπ' οὐ
μῖζερ. quia melior, & perfectior, impar iudicatus est. Hippocrates libro quarto
aphorismorum, sectione sexagesima prima. febricitantem nisi diebus imparibus febris
reliquerit, solet recidiuare. Virgilius. numero deus impare gaudet. perfectum nume-
rum denarium esse putat. Vitruuius libro quarto, capite primo. in codice, quem olim
uir mihi clarissimus, & doctissimus, Marius Sauronianus, Belgradi, Osopiq; Comes,
dono dedit, decimum annum, non nonum legere est. quæ mihi lectio plurimum ar-
ridet. nam decimum numerum Horatius etiam ante usurpauit, cum castigandis poe-
matibus tempus præscriberet, perfectum decies non castigauit ad unguem. **NE-**
SCIT VOX MISSA REVERTI. licet scribas turpem palinodiam. ut de
Stesichoro refert Plato in Phædro. sapienter igitur M. Antonius, quemadmodum
ipse dicebat, nullam unquam orationem scripsit, ut, si quid aliquando non opus es-
set ab se esse dictum, negaret se dixisse. Cicero pro Cluentio. Valerius Maximus li-
bro septimo, capite tertio. hic Horatius uocem missam pro scriptis rebus, ut deleri
amplius honeste non possint, posuit. **MEMBRANIS.** Ulpianus iurisconsul-
tus libro trigesimo secundo Digestorum, titulo de legatis, & fideicommissis, lege
quinquagesima secunda, sic ait. librorum appellatione continentur omnia uolumina,
siue in charta siue in membrana sint, in phylira, aut tilia, aut in aliquo corio. &
post. si in codicibus sint membraneis, uel chartaceis, uel etiam eboreis, uel in cæ-
ratis codicillis. qui locus Ulpiani ab Alexandro fusius explicatur libro secundo genia-
lium dierum, capite trigesimo.

L VII.

Syluestres homines facer, interpretq; deorum
Cædibus, & uictu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; Leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno,

Hætenus de scribendi poematis ratione præceptum est, nunc de laudibus poetices
agitur, quæ homines olim à fera incultaq; uita ad mitiorem hanc, quæ nunc uiuitur,
traxerit. **SYLVESTRES HOMINES.** Orpheus homines feros & imo

manes ad humanitatem allicere potuit . sed hic oritur quæstio . nam M. Tullius hoc eloquentiæ , non poetici tribuit . libro enim de oratore sic inquit . ut uero iam ad illa summa ueniamus , quæ uis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare ? aut à fera , agrestiq; uita ad hunc humanum cultum , ciuilemq; deducere ? responde , etiam poetici eloquentiæ nomine contineri , non solam artem oratoriam . nam M. Tullius in oratore ad Brutum sic inquit . nam etiam poetæ quæstionem attulerunt , quid nam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus . numero maxime uidebantur antea , et uersu : nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit . uersu igitur , non eloquentia poetas ab oratoribus Cicero distinxit . ORPHEVS . Calliopes filius . Virgilius .

Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus ,

Nec Linus , huic mater quamuis , atque huic pater adsit

Orphei Calliopea , Lino formosus Apollo .

De Orpheo in Bœoticis Pausa-

nias . Ὀρφεὺς κέναι πλεῖστis θεῶν , καὶ ὄρων αἰοσίων καὶ δαίμωνος . deorum sacrificia , et scelerum piacula inuenisse . quibus inuentis uideri potest homines à foedo uictu deterruisse .

SACER . quia , ut diximus , sacrificia deorum reperit , uel sapiens : sapientes enim dei dicebantur , unde Ennius sanctos poetas uocauit . Cicero pro Archia . Zezes declarans illa uerba Hesiodi lib. I. operum , et dierum , θεοὶ , καὶ ἀνθρώποι , idest dei , et homines , sic ait . θεοὺς νῦν ὄντες σοφούς , καὶ ὄντες τὰ θεῖα εἰδότες καὶ λαοί . deos nunc sapientes , et in rebus diuinis peritos uocat .

INTERPRES QVE DEORVM . expressit illud Platonis in Ione , ποιῶν τὰ ὄρμηεις τῶν θεῶν . poetæ deorum sunt interpretes . fuit autem poeta Orpheus , ut notum est . et ipse de se sic loquitur in Argonauticis .

ὅταν βάρχοιο , καὶ ἀπὸ Μῶνος ἀνακτοῦ
καὶ Ἰω ἐλαυνόμενος , etc .

Quando Bacchi , et Apollinis regis stimulo tractus sum . CAEDIBVS . quo quid poetice præstare potuit hominibus conducibilius ? nota historia est , quam Pausanias refert in Eliacis libro secundo de Thegene . is postquam mortuus est , quidam ex ijs , qui illum oderant infensius , eius statuam tota nocte pulsauit , quasi Thegenem probro afficeret . illum statua lapsu occidit . καὶ οἱ δαίσιοι καὶ τὰ πονηρῶσι πλὴν εἰς ἕνα . et Thasijs imaginem , quod hominem necarat , præcipitem in mare deturbant .

DETERRVIT . auertit , iniecto terrore quodam . libro primo quæstionum Tusculanarum , non deterret sapientem mors . DICTVS OB HOC . per allegoriam , quæ poetarum figmenta ad morum rationem redigit . unde Marius Sauronius , uir nobilissimus , et clarissimus , Homericis allegorijs plurimum delectatur : quibus etiam doctissime libellum confecit . Plato in Cratylo allegoriam Panis biformis habet , in Phædro Boreæ , et Orithyæ . eam Demetrius Phalæus in libro de elocutione συγχεῖλυμα τῆς λόγου uocat , idest quoddam orationis tegmen .

TIGRES , RAPIDOS QVE LEONES . immanes enim homines feræ dicuntur . Demosthenes oratione prima contra Aristogitonem eum θηρίον uocat , idest belluam . erat enim nepharius , atque improbus . et Cicero M. Antonium Philippica octaua . quinetiam de illo homine queri

IN POETICEN HORATII

solebas, quid te facturum de bellua putas? THEBANAE CONDITOR AR-
CIS. quinimo Cadmus Thebas condidit. Ovidius libro tertio metamorph. & Hesio-
dus libro primo operum, & dierum, sic inquit,

ἐφ' ἐπιπόλῳ Διὸς καὶ μῆιδι γαίῃ.

Ad Thebas septem portas habentes Cadmæam urbem. dic Amphyonem Thebas mœ-
nibus sepsisse, cuius rei habes Euripidem auctorem in Phœnissis. DVCERE QVO-
VELLET. non igitur temere id fiebat, sed consilio, & arte Amphyonis. quidam
enim temere præclarum aliquod opus perficiunt. Zetzes illa uerba Hesiodi declarans
libro I. de operibus, & diebus, Δικαῖα ἀγορεύει γνώσκων, idest iusta prædicare
sciens, sic ait. καλῶς εἶπε τὸ γνώσκων. πολλοὶ γὰρ ἀκόντες ὄμμε λογιῶσι τὸ δίκαιον.
recte illud sciens addidit. multi enim imprudentes quod iustum est consentiunt. Cicero
in oratore ad Brutum, ut miret ueteres non esse commotos, præsertim cum, ut fit, for-
tuito sæpe aliquid concludere, apteq; dicerent. SONO TESTUDINIS cantu ly-
ræ. testudo notum animal, ex quo primum ad Nilum Mercurius lyram confecit. hinc
musicum instrumentum testudinis nomen accepit. Seruius. PRECE BLANDA,
quam cum sono consociabat, ut musici faciunt. libro VIII. odysseæ, Demodocus fur-
tum Martis, & Veneris &c. concinuit, & lyra personuit. Sic Iopas lib. I. Aeneidos.
FUIT HAEC SAPIENTIA QVONDAM. tribuit hæc omnia Horatius
excellenti cuidam sapientiæ. ergo uerum est, quod lib. I. de oratore Scæuola contra
Crassum contendit his uerbis. quis enim tibi hoc concesserit? aut initio genus hominum
in montibus, ac syluis dissipatum non prudentium consilijs compulsum potius, quàm
disertorum oratione delinitum se oppidis, mœnibusq; sepsisse. & post. an tibi Romu-
lus ille aut pastores, & conuenas congregasse, aut Sabinarum connubia coniunxisse,
aut finitimarum uim repressisse eloquentia uidetur, non consilio, & sapientia sin-
gulari? responde Horatium deferre hanc palmam sapientiæ, quæ cum eloquentia sit
coniuncta. nam hic sapientiam nominat, paulo ante eloquentiam significauit per so-
num testudinis, & precem blandam. PUBLICA PRIVATIS SECER-
NERE. lege Iustinianum lib. II. inst. ciuilium. hinc occisus Ti. Gracchus qui a-
gros publicos plebi diuisurus erat, & priuatos, qui ante publici erant, facturum. Ci-
cero Philippica VIII. Florus lib. III. alij. SACRA PROFANIS. Hiero-
cles damnatus, ὡς ἰδρόσυλος, idest sacrilegus, quod ferret ἰδρὰ ἱμάτια, idest sacras
uestes. Libanius in argumento orationis contra Aristogitonem. CONVBIT V
PROHIBERE VAGO, DARE IVRA MARITIS. Tibullus,

Tunc quibus aspirabat amor, præbebat aperte

Mitis in umbrosa gaudia ualle Venus.

Fortasse in Socratem tacite inuehitur, qui communes esse uxores, ut alia omnia, uoles-
bat. Aristoteles lib. II. de republica. ἐν αἷ γὰρ σωκράτης φησὶ δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα,
καὶ τοὺς γυναῖκας εἶναι, καὶ τοὺς κτήσεις. ibi enim apud Platonem Socrates ait, opus
esse, ut communes iiberi, uxores, & possessiones sint. Geloni Siciliae regi putidum os

erat. monuit illum meretrix. is cum uxore, quod monitus ab illa non fuisset, questus est. putabam, inquit illa, omnibus uiris oris halitum esse grauem. auctor Lucianus in libro πρὸς αἰρεῖσων. hoc est dare iura maritis, et uxoribus, et concubitu uago prohibere. nam Aristoteles in Politicis Socratis illam communitatem reprehendit, ac refutat.

OPPIDA MOLIRI. urbes exædificare, & quasi in molem attollere. LEGES INCIDERE LIGNO. ut descriptæ in tabulis, cunctis legendæ proponerentur. Decemuiri Romani ius non scriptum à Lacedæmoniis, ius scriptum ab Atheniensibus acceptum in duodecim tabulas digesserunt. Lilius libro tertio. Pomponius iurisconsultus libro primo Digestorum, titulo de origine iuris, lege secunda, & alij.

LVIII.

Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
 Carminibus uenit. post hos insignis Homerus,
 Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
 Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes,
 Et uitæ monstrata uia est, & gratia regum
 Pieriis tentata modis, ludusq; repertus,
 Et longorum operum finis, ne forte pudori
 Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

Pergit Horatius laudes poetices enumerans. nam bella poetæ, & res gestas summorum Imperatorum scripserunt. uersibus oracula respondebant, politioris uitæ ratio monstrata est, Regum amicitia comparata, ludi instituti, fessas etiam hominum mentes poetice reficit, ac recreat. DIVINIS VATIBVS. nam de poetis Ouidius.

At sacri uates, & diuum cura uocamur.

Sunt etiam qui nos numen habere putent. De diuino afflatu poetarum Plato in Apologia, et in Ione legendus est. uel diuinos appellauit, Lacedæmoniorum more, qui præstantes uiros diuinos nuncupabant, ut scribit Aristoteles lib. VII. de moribus ad Nicomachum, ὁ τὰν ἀγαθῶσι σφόδρα τῆ, θεῖος αὐτῶν φασί. quando in alicuius amorem, admirationemq; adducti sunt, diuinus uir est, inquit. INSIGNIS HOMERVS. iure illum inter antiquissimos poetas constituit Horatius. Cicero enim libro primo quæstionum Tusculanarum, nam cum apud Græcos, inquit, antiquissimum è doctis sit genus poetarum, si quidem Homerus fuit, et Hesiodus ante Romam conditam, &c. Cornelius Nepos libro cronichorum auctor est, Homerum ante Romam conditam annis circiter CLX. uixisse. Aristoteles libro quarto physicorum de tempore agens, Homerum prore antiqua posuit, ὅς ὁ μῆκος πρὸ τῆ λῶ, ut Homerus olim fuit. hic deorum honores habuit. nam Ptolomæus Philopater templum Homero erexit, eiusq; simulachrum inter urbes fixit, quæ de patria Homerî altercabantur, ut scribit Aelianus libro decimotertio. cæcus fuit, & mendicus, ut affirmat Pausanias in Corinthiacis. illum uerticem appellat Dionysius in libro de compositione, ex quo flumina omnia

IN POETICEN HORATII

Et fontes, atque uniuersum mare emanet. quod Ouidius etiam fere retulit. Aspice Maonidem, à quo ceu fonte perenni Vatum Pierijs ora rigantur aquis. Zoilus Homero mastix librum Ptolomæo ostendit, quem aiebat se contra Homerum scripsisse: quare petebat à rege pecuniam, ut paupertatem, qua oppressus erat, ferret. cui Ptolomæus respondit, Homerum, qui annos ante mille decessisset, multa hominum millia pascere, qui eius lectionem profitebantur: sic Zoilum debere, qui se Homero præstantiorem esse id est et abbat, non modo se ipsum sed alios etiam complures alere. auctor Vitruuius in proœmio libri septimi. Indorum, et Persarum reges Homerum in suam linguam conuersum semper in ore habebant, ut ait Aelianus lib. XII. idem ante Homerum poetas extitisse se Oribantium, Daretem, et Melisandrum refert lib. XI. cap. II. Homeri poemata, cum dispersa, et discerpta essent, primi Lycurgus, et Pisistratus collegerunt, et unum ex ijs corpus confluxerunt. idem Aelianus lib. XIII. ijs, qui politiores literas profitebantur, turpe erat, Homerum legendo non contriuisse. unde Alcibiades doctorem, qui se Homerum non habere aiebat, pugno percussit; ut Plutarchus in Alcibiadis uita testatur. TYRTAEVS. de hoc Plato multa lib. I. de legibus, cuius etiam carmina recitat, ad inflammandos bellatorum animos scripta. Lacedæmonij Messeniorum bello, oraculo moniti, ducem ab Atheniensibus petiuerunt. Athenienses ludibrio quodam Tyrtaeum poetam claudum Lacedæmonijs miserunt, qui ter fusus, fugatusq; à Messenijs fugientes Lacedæmonios carmina bellica decantans in hostem reuocauit, et uictor ex acie concisis hostium cateruis excessit. auctor Iustinus lib. III. MARES ANIMOS. fortes, et strenuos, non molles, et effœminatos. lib. I. epistolarum.

Et maribus Curijs, et decantata Camillis.

Contra illud Virgilij ex Homero.

O uere Phrygiæ, neque enim Phryges: ite per alta

Dindyma.

Et illud Ciceronis oratione. VII. contra Verrem, ut muliebria quotidie conuiuia essent, uir accumberet nemo, præter ipsum, et prætextatum filium. tametsi recte sine exceptione dixeram, uirum, cum isti essent, neminem fuisse. EXACUIT. iram in hostes inuiciens, quam cotem fortitudinis Stoici uocauerunt, ut patet lib. III. quæst. Tusculanarum. quod innuens Horatius, exacuit, dixit, id est tanquam ad cotem acuit. DICTAE PER CARMINA SORTES. hoc etiam ad nobilitatem poetices spectat; quod oracula uersibus reddebantur, ut Croeso reddita esse Cicero de Diuinatione refert,

Croesus Halym penetrans magnam peruertet opum uim.

Ennius.

Aio te Aeacida Romanos uincere posse.

ET VITAE MONSTRATA VIA EST. ut uidemus apud Xenophontem lib. III. de expeditione Cyri. ubi Xenophon oraculum consulit, an ad bellum cum Cyro proficiscatur, et an uia sibi uitæ redeunti patere possit. sic Menelaus libro IIII. odyssæ ex Proteo quærit, quis sibi deus placandus sit, ut in patriam tutus redeat. tum dii carminibus uiam uitæ monstrabant. Potes hæc referre etiam ad poetas, quæ



tas, qui *ὑμνοῖς* scripserunt, ut ad Phocylidem, & Theognidem, quorum adhuc carmina extant. ET GRATIA REGVM. amicitia etiam regum carminibus comparata est. lege Ciceronis orationem pro Archia, ubi probat illustrium principum exemplis nobis gloriae cupiditatem esse insitam. PIERIIS MODIS. musarum carminibus, quæ Pierides dicuntur. uide Hesiodum initio libri I. de operibus, & diebus, ibiq; Zezem doctissimum interpretem. ut Latinos omittam. LVDVS QVE REPERTVS. dicant hic alij, quicquid uolunt. ego, cum hic Horatius de com- modis poetarum differat, puto eum ludos Bacchi innuere, qui non sine carminibus ce- lebrabantur. Virgilius in georgicis libro II.

Et ueteres ineunt proscenia ludi,

Et te Bacche uocant per carmina læta. & quæ sequuntur.

Quæ Virgilij uerba nos in Parergis lib. I. capite XV. cum Thucydide contulimus, & declarauimus. ij ludi utribus fiebant. Virgilius,

=atque inter pocula læti

Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

De iisdem, & de utribus Zezes apud Hesiodum lib. I. de operibus, & diebus sic: καὶ τὰ μὲν ἀσκόλια τριασδὲ ἐγίνετο: & festa utralia, ut ita dicam, sic fiebant. tum mo- dum & rationem addit, & fusius explicat. Bacchi ludi carminibus non carebant. ica- circo hanc etiam laudem poetis adscribit Horatius. LONGORVM OPERVM FINIS. & animi requies post longos exceptos labores. animos enim fessos carmini- bus, & lyra relaxabant. sic fessum è pugna Achillem relaxat Homerus in Iliade. quod summe probat Plutarchus in libro de musica. nec uero Pythagorei sonos dimitte- bant, aut cum mane è stratis surgerent, aut cum noctu cubitum irent, ut carmina turbidos animi motus sedarent. Quintilianus lib. IX. cap. de compositione. NE- FORTE PVDORI. hæc dixi, ne te pudeat poetam esse. quodam enim tempore poetæ male audierunt. Cicero lib. I. quæst. Tuscul. M. Nobiliori probro fuisse En- nium, quem secum in prouinciam duxerat, testatur. Camillum Quernum, Archipoæ- tam cognomento, quis laudet? qui cum in conuiuio Leonis X. Pontificis Maximi de se dixisset, Archipoeta facit uersus pro mille poetis: addidit Leo ex tempore, & pro mille alijs Archipoeta bibit. ut in Musæo refert Iouius. locutio hæc, esse pudori, alibi etiam occurrit in hoc poeta, in odis.

Neu sit ancillæ tibi amor pudori,

Serua Briseis niueo colore

Mouit Achillem.

MVSA LYRAE SOLERS. musicam cum poetica coniungit. nam melici ex quinque generibus poetarum sunt, ut legimus apud Ci- ceronem in libro de optimo genere oratorum. qui dicti sunt ἀπὸ τῆς μελῆς, idest à sua- uitate, et cantu musices. Aristoteles etiam in poetices libro ponit τὴν ποίησιν τῆς ὠλῆς τῆς, καὶ κθαεστῆς, idest poesim, quæ tibijs & cithara constat.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
 Quæsitum est. ego nec studium sine diuite uena,
 Nec rude quid profit uideo ingenium: alterius sic
 Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Vtra magis poeticæ conferat, natura, an ars, in controuersiam adducit, mox rem discutit, utraque opus esse inquit, ut quis in poetica excellat. in quo nunquam satis mirari possum, quamobrem ueritus sit Horatius naturam arti antepone, cum Cicero & Isocrates id fecerint, qui tamen non negarunt, ex utraque diuinum quiddam fieri, ac præstantius. in oratione pro Archia uerba hæc Ciceronis leguntur. ego multos homines excellenti animo, ac uirtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu prope diuino per se ipsos & moderatos, & graues extitisse fateor. etiam illud adiungo, sæpius ad laudem, atque uirtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura ualuisse doctrinam. atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam, conformatioq; doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere. Isocrates in libro contra Sophistas. πολλοὶ μὲν τῆς φιλοσοφίας τῶν ἰδιώτου διετέλεσαν ὄντες, ἄλλοι δὲ πῆρες οὐδενὶ πώποτε συγγερόμενοι τῆς σοφιστῶν, καὶ λέγειν, καὶ πολιτεύεσθαι δεινοὶ γέγονασιν. αἱ μὲν γὰρ δωάμεῖς καὶ τῆς λόγων, καὶ τῆς ἄλλων ὀρίων ἅπᾶντων ἐν τῆς φύσεσιν ἐγγίνοντο, καὶ τοῖς ποδὶ τοῖς ἐμπειρίας γυμνασμοῖς. ἡ δὲ παιδείασις ἴσως μὲν τοιούτοις τεχνικατοῖς, καὶ πρὸς τὸ ζῆν οὐπω τὸ δόξους ἐποίησεν. multi ex ijs, qui philosophati sunt, clari non fuerunt. alij uero, cum nulli unquam sophistæ operam dedissent, & in dicendo, et in administratione reip. polluerunt. nam præstantia & orationis, & rerum aliarum omnium in naturali quadam uirtute consistit, etiam in ijs, qui circa experientiam uersati sunt. doctrinæ autem institutio eos artificiosiores, & ad uiuendum feliciores reddidit. Laertius lib. V. hoc apophtegma refert Aristotelis: ἡ μὲν ὄρασις ἀπὸ τῆς ποδὶ μέγαντος ἀόρατος λαμβανέτω τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῆς μαθημάτων. uisus à circumstante aere lumen, anima uero à disciplinis accipit. potuit igitur Horatius naturam arti præferre, mox addere, ex utraque perfectum quiddam fieri. **STVDIVM.** exercitationem cum arte coniunctam. **DIVITE VENA.** foecundo ingenio. tractum à uenis metallorum, & lapidum. Iabolenus iuriconsultus lib. XVIII. Digestorum, titulo de contrahenda emptione, lege septuagesima septima. post multum temporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ. Virgilius in georgicis libro II.

Hæc eadem argenti riuos, ærisq; metalla

Ostendit uenis, atque auro plurima fluxit.

RVDE INGENIVM. natura sine arte. translatio à lignis impolitis, uel alia qualibet materia. Virgilius.

His informatum manibus iam parte polita

Fulmen erat. PROSIT. in codice illustrissimi Federici Cornelij, possit, legere est. ALTERIVS SIC ALTERA POSCIT OPEM RES. natura, et ars mutuis se opibus iuuant, sic tamen, ut princeps natura habeatur, quæ nostra ingenia, ut magnes lapidem, trahit. Plato in Ione, θεῖα δὲ δυνάμις, ἢ σε κινεῖ, ὡς πρὸς τὴν λίθον, ὡς δὲ ἐπιπέδου μὲν μαγνήτην ὠνόμασεν. οἱ δὲ πολλοὶ ἠράκλειον. diuina uis est, quæ te mouet, ut in lapide, quem Euripides magnetem nominauit, multi Hercules. quin ipse Horatius in odis lib. quarto. naturam prætulisse uidetur.

Quem tu Melpomene semel
Nascentem placido lumine uideris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Delijs
Ornatum folijs ducem,
Ostendet Capitolio,
Sed quæ Tybur aquæ fertile perfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Aeolio carmine nobilem.

CONIVRAT AMICE. consentit, uires, opesq; coniungit, ut duo principes, qui commune bellum aduersus hostem communem suscipiunt. hoc Græci dicunt ἐπιμαχίαν. nam interpres Thucydidis libro primo, post Corinthiorum concionem, sic annotauit in scholijs. διαφέρει δὲ συμμαχία ἐπιμαχίαν. ἐπιμαχία μὲν, ὅταν ἀλλήλοισι πρέχουσι δυνάμεις ἐκείτοροι: συμμαχία δὲ, ὅταν μόνοι ἀθηναῖοι δῶσι κέρυκεράοις βοήθειαν. &c. differt autem symmachia ab epimachia. epimachia enim est, cum ambo sibi mutua auxilia mittant: symmachia uero, cum soli Athenienses Coræ cyrensisibus opem tulerint.

LX.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alfit,
Abstinuit Venere, & Baccho. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
Nunc fatis est dixisse, ego mira poemata pango,
Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire fateri.

Naturam arte, & studio excolendam esse, atque adiuuandam docet, ne despecta quasi ager incultus sordescat, & omni nitore amisso, ut ferrum rubiginem contrahat. & hoc proposito nobis cursorum, & tibicinum exemplo suadet: mox uitium sui temporis detestatur, quo malebant homines nescire, quàm ab ullo discere, ne illo, a

IN POETICEN HORATII

quo discerent ; inferiores uiderentur, & quod peius est, se ipsi doctos iudicabant ; et temere sibi arrogabant. QVI STVDEI OPTATA M. qui optat, inquit, cursu, idest studio, et labore contingere optatam metam, idest ad finem peruenire sibi propositum. Similitudo sumpta est ab Olympicis ludis, ubi certatim decurrebant. Virgilius,

Seu quis olympiæ miratus præmia palmæ

Pascit equos. & Horatius in odis,

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum

Collegisse iuuat.

Erat autem in curriculo meta, ad quam

se aduoluebant.

ibidem Horatius,

Metaq; feruidis

Euitata rotis.

Hæc meta columna erat, ad quam

cum se aduoluissent, adhuc excurrerant. Aristoteles lib. III. rhetoricorum de spectando fine agens, διόπερ ὡδί τοῖς κερπήσιν ἐκπνέουσιν. πεθορῶντες γὰρ ἔπερ' αὐτῶν ἔκινουσι πρὸ τέρου. quare in flexibus ad metam anhelant. finem enim prospiciunt, nec prius laborant. meta igitur non erat limes, & finis: sed Horatius pro fine posuit, quem Aristoteles περ' αὐτῶν appellat. & duodecies quidem se ad metas circumflectebant. quod Pindarus indicat ode III. olympiorum.

δωδεκάγυαμπίον πρὸ τέρου δρόμου.

ἰππων φυτῶν.

His uerbis Theronem ait equos duodecies ad metas

flexisse. Erant autem plures columnæ, idest metæ. Sophocles in Electra de Oreste, quem fama erat hoc certamine periisse.

κείνος δ' ὑπ' αὐτῶν ἐσχάτην σήλω ἔχων

Ille cum ad ultimam columnam peruenisset. ubi interpretes in scholijs, ἐσχάτην ὃ λέγει, ἔπει καὶ ἄλλαι ἦσαν ἐν μέσῳ τῆς δρόμου. ultimam dicit, nam & aliæ in medio curricula erant. MULTA TVLIT. is, qui uult optatam metam contingere, & uberrimum studiorum suorum fructum capere, multa passus est, calorem sensit, & alsit, idest frigora pertulit. nota sunt carmina Hesiodi libro I. operum, ac dierum. quibus uirtutem ait in altissimi montis uertice consistere. τῆς δ' ἀρετῆς ἰσθμῶτα. &c. quæ Cicero in epistolis familiaribus Leptæ puero ediscenda proposuit. Maximinus, ut in eius uita Capitolinus scriptum reliquit, dicere solebat. quo maior ero, tanto magis laborabo. unde ad imperij gradum euectus fuit. & quidem recte Sophocles in Electra inquit. πόνου τριχρεῖς οὐδὲν ὀτυχεῖ. sine labore nihil feliciter euenit. ABSTINUIT VENERE ET BACCHO. de coitu, & Venere Plinius lib. X. capite sexagesimo tertio annotauit. quod autem de uino addit Horatius, ad Romanorum morem attinet. Romæ enim pueri uino abstinebant. & hic quidem Horatius de puero loquitur. Athenæus lib. VI. οἱ σφόδρα δίκουρούμενοι τοῖς βίοις ἦγον ὄσ' ἡνὸς ὕδωρ μελὶ ὡς τὸ πολὺ πίνοντες, qui uictu plurimum delectabantur, filios plerumque aquam bibere iubebant. Plato etiam libro II. de legibus præcipit, ut pueri ad decimum octauum annum uinum non gustent. quem locum Platonis Athenæus libro

X. retulit. Horatius tamen de Ennio non puero, sed uiro. sic alibi.

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma

Profuit dicenda.

Demosthenes ab Aeschine contumeliose

ὑδωρ πίνων, idest abstemius dictus est, ut legimus in oratione Demosthenis de falsa legatione. quæ dicimus, ut pateat, hic de pueris, non uiris esse mentionem. QUI PYTHIA CANTAT. proxime usus est cursorum exemplo. nunc uerisimile est, tibicines innui, qui in Pythiis nobilissimis ludis suam operam præstabant. sunt enim Pythia ludi, qui in honorem Apollinis, qui Pythonem serpentem occiderat, celebrabantur. Ouidius.

Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

De his plura diximus in Parergis libro II. capite XI. ubi Ouidij locum declarauimus. hæc Pythia tibicines canebant. Iulius Pollux libro quarto sic. τῆς ἰ πυθίας νόμου τῆς ὠλητικῆς μέρη πέντε. Pythij cantus, qui tibijs personabatur, quinque partes sunt. eas postea refert. Sed illa uerba spectanda sunt. δῆλωμα ἡ ὄσι νόμος τῆς τῆς ἀπό Μωνοῦ μάχης πρὸς τὸν ὄρχοντα. Cantus hic Apollinis pugnae cum serpente representatio est. non igitur de Pindaro Pythiorum scriptore loquitur Horatius, ut putauit Iacobus Grifolus, uir alioquin doctissimus. EXTIMUIT QUE MAGISTRVM. qui eum ferula plectebat indocilem. Iuuenalis.

Et nos ergo manum ferulae subduximus.

Ouidius de Chirone, et Achille.

Quas Hector sensurus erat, poscente magistro

Verberibus iussas præbuit ille manus.

Horatius Orbilius, quem nactus est magistrum puer, plagosum appellat. plagosos autem magistros Quintilianus libro primo, et Lucianus in Nigrino reprehendunt. NVNC SATIS EST DIXISSE. his miseris temporibus satis est se iactare, et de se loqui inflatus. ego poeta primarius, ego non ultimus: quinimo scabiosus sit, qui ultimus poeta est, et postremi ordinis. damnat uitium sui temporis Horatius. quod grauius facere etiam Cicero solet, ut Philippica octaua, M. Antonium reprehendens, qui legatos populi Romani ad Mutinam, quam obsidebat à Bruto defensam, contempserat. sic enim inquit: proh dij immortales, ubi ille mos, uirtusq; maiorum? C. Popilius apud maiores nostros, cum ad Antiochum regem legatus missus esset, et uerbis senatus nunciasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat, cum tempus ille differret, uirgula stantem circumscripsit, dixitq; se non antea renunciaturum senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quàm ex illa circumscriptione excederet. et quæ sequuntur. utinam nostro etiam seculo huiuscemodi Thrasones in literis non essent; et plures essent Socratis imitatores, qui εἰρων, idest dissimulator doctrinae suæ dictus est, ut et à Platone passim et à Quintiliano lib. IX. scriptum est. PANGO. compono. in epitaphio Ennii apud Ciceronem in libro de senectute.

Hic uestrum panxit maxima facta patrum.

OCCVPET EXTREMVM SCABIES. tribuit poetis, quod pueri ludentes

IN POETICEN HORATII

Et currentes dicunt. ultimo enim scabiem imprecantur, Et tamen scabies pueros raro occupat. causam reddit Aristoteles in problematibus, ὅτι ἡ λδύκη ἐστὶ πνδύμαρς ἕξοδος. ἔστι δὲ τὰ μὲν τῆς παιδῶν οὐκ ὀπνοα σώματᾶ, ἀλλὰ πυκνά. quia scabies est spiritus halitus, puerorum autem corpora poris non patent, sed densa sunt. MIHI TURPE RELINQVI EST. turpe mihi uidetur, inquit indoctus, Et gloriosus poeta, relinqui, idest extremo ordine uersari. alij enim præcurrentes me tardum relinquerent. Horatius in epistolis libro primo.

Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

ET QVOD NON DIDICI &c. id etiam turpe censeo, ait improbus poeta, fateri, quod non didici. tegenda igitur iactatione, Et audacia est ignorantia. improbi hominis hæc uerba sunt. Quintilianus lib. III. cap. VIII. sic inquit. nam Et Hippocrates clarus arte medicinæ uidetur honestissime fecisse, quod quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est, Et M. Tullius non dubitauit aliquos suos libros iam editos alijs postea scriptis ipse damnare. Cornelius Celsus lib. VIII. sic. à futuris se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet magnorum uiro- rum, et fiduciam magnarum rerum habentium. nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. magno ingenio, multaq; nihilominus habituro conuenit etiam simplex ueri erroris confessio. hæc ille. quare ingenue fateri inscitiam debemus, non profiteri quod nescimus. nam, ut ait Aristoteles lib. II. rhetor. ubi de sedanda ira agit, mites sumus iudices βίς ὁμο λογούσι, idest errata sua ingenue confitentibus.

LXI.

Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta,
Diues agris, diues positus in fœnore nummis.
Si uero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem, uerumq; beatus amicum.

Adulatoribus tantæ poetarum arrogantia culpam adscribit. ij enim in causa sunt ob assentationem, ut mali poetæ peritos se poetas existiment. quinimo, ut mercatores ad laudandas Et uulgo significandas merces præconem adhibere solent, sic tum poetæ adultores conducebant pretio, qui sua scripta apud omnes in coelum ferrent, Et certiores omnes facerent, cum ipsi carmen recitaturi erant. VT PRAECO. Cicero in oratione pro Quintio de Næuio præcone sic. Cum ei natura nihil melius, quàm uocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, uocem in quæstum contulit. locus præconibus frequens in atrijs Licinijs erat. ibidem Cicero. Tollitur ab atrijs Licinijs, atque à præconum confessu in Galliam Næuius. Plato in libro de re- gno reges esse ait similes uendentibus, præcones emptæ iterum, Et carius uendens

eibus. nam hoc etiam præconum officium est, magistratum edicta uulgare. τὸ κηρυ-
 κικὸν φύλον ἐπιταχθὲν, τ' ἀλλότρια νοήματα πρᾶδεχόμενον, αὐτὸ δούτορον ἐπι-
 τάττει πάλιν ἐτέρους: præcones edicta aliorum sumentes ipsi rursus alijs publicant. hor-
 rum statas in pronunciando dimensiones Aristoteles libro tertio rhetoricorum obser-
 uauit. τῶ κηρυκῶν περλαμβάνουσι τὰ παιδία. pueri, quæ præcones edituri sunt, an-
 te pronunciant. Sed de hoc munere præconum hic Horatius non loquitur, eos enim
 præcones significat, qui uenales res præconio extrudunt, ut in epistolis libro primo.
 vilia uendentem tunicato scruta popello. **ASSENTATORES.** de quibus le-
 ge librum Plutarchi, qui inscriptus est, quo modo quis amicum, & adulatorem di-
 stinguere possit. **AD LVCRVM.** poeta enim pretium adulatoribus propo-
 nit, si in sui admirationem populum cieant. Plinij uerba, quæ sunt epistola de-
 cimaquarta libri secundi, pulcherrime huic Horatij loco respondent. ea enim sunt hæc.
 heri duo nomenclatores mei (habent sane ætatem eorum, qui nuper togas sumpse-
 runt) ternis denarijs ad laudandum trahebantur. tanti constat, ut sis disertissi-
 mus. hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligi-
 tur, hoc infiniti clamores commouentur. & post. primus hunc audiendi morem indu-
 xit Largius Licinius. &c. Horatius autem de poetis, Plinius de oratoribus uerba facit.
POSITIS IN FOENORE NUMMIS. usuras intelligit, quæ fœnore conflan-
 tur. quædam enim usuræ legitimæ sunt, quæ impenduntur ob alienæ pecuniæ usum.
 Papinianus iurisconsultus libro uigesimo secundo digestorum, titulo primo, lege prima,
 sic inquit. Socius si ideo condemnandus erit, quod pecuniam communem inuaserit,
 uel in suos usus conuerterit, omni modo etiam mora non interueniente præstabuntur u-
 suræ. quædam non legitimæ, de quibus sic Liuius libro uigesimo. Sardiniam M. Portius
 Cato obtinebat, sanctus, & innocens, asperior tamen in fœnore coercendo habitus, fu-
 gatiq; ex insula fœneratores. librum Plutarchus contra fœnus scripsit. nam illa uerba
 Ciceronis libro nono ad Atticum, epistola decimaquarta, dubio sensu prolata sunt. popu-
 li Romani exercitus Cn. Pompeium circumsidet, fossa, et uallo septum tenet, fuga pro-
 hibet, nos uiuimus? & stat urbs ista? prætores ius discunt? ædiles ludos parant? uiri
 boni usuras perscribunt? ego ipse sedeo? **SI VERO EST VNCTVM.** si quis
 est, qui diues unctum ponere possit, idest cibos pingues, non siccos, ut panem tantum,
 is assentatoribus gulosis undique septus adulatorem, & uerum amicum non interno-
 scet. Athenæus libro sexto de adulatoribus Dionysii regis Siciliae, ἔρι δὲ περὶ σεποιδῶν
 μῆτι οὐδὲ ὄρατ' ἄλλ' τὸ δειπνον, ἐπεὶ ὁ διονυσίος ἐκλυῶ οὐκ ὄρατ' οὐδὲ πῆτι. & post. ἐπὶ δὲ τὸ
 ἐμετὸν αὐτὸν μάλιστα ἔλεγον εἶναι γλυκὺ τὸρον. hi quidem in conuiuio se non acute
 cernere simulabant, quia Dionysius non acute cernebat, & esculenta, quæ ille euo-
 muerat, melle dulciora esse dicebant. ecce igitur quemadmodum adulantur homines
 impuri in conuiujs. talis erat Aristippus, qui à Diogene reprehensus, uersu illo noto
 apud Horatium libro primo epistolarum, ubi ad Scænam scribit, se defendebat.

Si sciret regibus uti,

Fastidiret olus, qui me notat. Quod uero attinet ad unctum, Cyrus apud Xenophontem libro primo de sua institutione, Medorum luxuriæ sobrietatem Persarum anteponebat, sic Astyagem auum, Mediæ regem, alloquens, qui uncti cibi sint, declarat, ὅτι σε φαίαι ὄρα, ὅταν μὲν τὸ ἀπ' τοῦ ἄψῃ, εἰς οὐδὲν τὴν χεῖρα ἀπ' ἀμύλον. ὅταν δὲ τῶν ἰνῶν ἴνῶς δίγῃς, οὐδὲν ἀπ' ἀμύλον τὴν χεῖρα, &c. quia inquit, cum panem attingis, uideo te manum non abstergentem: quando autem aliquem ex opimis cibum attrectas, statim manum perpurgas. **ET SPONDERE LEVI PRO PAUPERE.** idem, inquit, iis accidit, qui pro inope aliquo spondent, idest fidei iubent, & se uades constituunt. exemplum est apud Scaeuolam iurisperitum de sponsione, libro decimo septimo Digestorum, titulo primo, lege sexagesima, his uerbis. & quamuis idonee promissuram tibi Titiam matrem puellæ dotem sciam, tamen & ipse, quo magis conciliem animum tuum domui meæ, fidem meam interponere non dubito. quare scias, quodcunque ab ea ex ea causa stipulatus fueris, id me mea fide iussisse, saluum te habiturum. **ERIPERE ATRIS,** &c. qui possit aliquem litibus liberare, atris, idest tristibus, & odio plenis: ut antra omnia fere sunt. Cicero Philippica septima: omne enim curriculum industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. **BEATVS.** ut ipse se censet esse. beatum etiam pro diuite sæpe usurpat Horatius, ut in satyris.

Vt Nasidieni iuuat te coena beati? & in odis.

Nescias, an te generum beati

Phyllidis flauæ decorent parentes.

INTERNOSCERE. distinguere mendacem, fictumq; à sincero, ueroq; amico non poterit. causam non reddit Horatius, quia perspicua est. nam propter laudis cupiditatem assentatores non solum æquo animo ferimus, sed etiam exposcimus. Alexander magnus, diuinus uir, qui ambitione hac tanta non laborabat, adulatoris poetæ Aristobuli librum in flumen Hydaspem deiecit, & uix se tenuit, quo minus etiam ipsum deiceret: nihil enim propius factum est. καὶ σε ὅπως ἐχρῶ, inquit, ὡς ἀπιστοβλάει. auctor Lucianus in libro de conscribenda historia. idem à se Dinocratem architectum reiecit, qui se aiebat montem Atho in effigiem Alexandri redacturum. Vitruuius libro secundo.

LXII.

Tu seu donaris, seu quid donare uoles cui,
 Nolito ad uersus tibi factos ducere plenum
 Lætitiæ. clamabit enim, pulchre, bene, recte.
 Pallefcet super his, etiam stillabit amicis
 Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
 Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
 Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
 Derisor uero plus laudatore mouetur.

Adulatores

Adulatores perniciosos esse dixerat, et non facile posse à ueris amicis distinguere. nunc, quo modo cognosci perspicue possint, demonstrat, cum de nostris scriptis sententiam ferunt. TV SEV DONARIS. non negat Horatius donis aliquem esse ornandum, sed ei credendum, quem donaueris. nam uir magnanimus libentius audit à se aliquem donatum, quàm se ab ullo munera accepisse, ut Aristoteles inquit libro quarto ethicorum. TIBI FACTOS. à te scriptos. in codice illustrissimi Federici Cornelii fictos legimus. sed factos fortasse melius. nam litera, a, grauis est: i, nimium orationem attenuat, ut ait Hermogenes libro primo de idæis oratorijs: ut alijs argumentis non contendam. PVLCHRE, BENE, RECTE. uerba sunt assentatoris, quibus mirifica tua esse poemata dicit. dictio, bene, omnes laudes sola comprehendit, sed hic ob adulationem synonymis creber fuit. Aristoteles libro secundo de rep. Socratem arguit, quòd homines singulos tantum copiarum habere uolebat, ὥστε ζῆν σωφρόνως, ut temperate uiueret. debuit enim potius sic dicere, ὥστε ζῆν δὲ, ut bene uiueret. rationem addit. ἄλλοι δὲ βίαι καὶ δόλου μάλλον. ἔτι δὲ βίαι σωφρόνως μὲν, ταλαιπώρως δὲ ζῆν. hoc enim, bene, latius patet. præterea temperate quidem, sed misere uiuere possumus. PALLESCET SUPER HIS. quasi nouo genere poematis obstupescit. nouitate enim rerum pallefcimus. Virgilius de Didone. Et pallida morte futura. STILLABIT AMICIS EX OCVLIS ROREM. præ gaudio lachrymas, quæ sunt ros oculorum, effundet. lætitia enim aliquando lachrymas ciet. Arrianus libro sexto de Alexandro, qui ex grauissima uoletudine emerferat, πολλοῖς δὲ καὶ δάκρυα ἵδ' πρὸ αἰελπίσω περὶ χεῖρα ἀκρόσια. multis in insperato gaudio inuitis lachrymæ emanarunt. idem scribit Diodorus libro decimo septimo, de uxore, et filiabus Darij, quibus Alexander liberaliter omnia pollicitus erat. Virgilius de Anchise, qui uenientem Aenean in Elysios campos uiderat.

Isq; ubi tendentem aduersum per gramina uidit

Aenæan, alacris palmas utrasque tetendit,

Effusaq; genis lachrymæ.

TVNDET PEDE TERRAM. saliendo. in odis,

Nunc est bibendum, nunc pede libero

Pulsanda tellus.

supplisio pedis dicitur à M. Tullio libro

primo de oratore. VT QUI CONDVCTI. conducebantur qui flebilibus uocibus funus mœstissimum redderent. qui non ex animo quidem flebant, sed tamen lugubri illo clamore eos superabant, qui ex animo lugebant. horum fortasse eiulatu L. Crassus libro secundo de oratore, cum anus Iunia efferretur, excitus, in Brutum, qui astabat, inuectus est. prò dii immortales, quæ fuit illa, quanta uis, quàm inexpectata, quàm repentina, cum coniectis oculis, gestu omni, et uultu, summa grauitate, et celeritate uerborum, Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare uis tuo? etc. EX ANIMO. ἐκ τῆς ψυχῆς, inquit Aristophanes. MOVE TVR. extrinsecus, non animo. Plutarchus in libro de adulatore, et amico, adulatorem similem es-

IN POETICEN HORATII

se ait metallo non aureo, sed quod aurum imitetur. ὡς πῶρ τὰ χρυσοῦ τε καὶ λαμπρῶν τιτὰ τῶ χρυσοῦ μιμῆται μόνον. ut adulterini numi splendorem tantum auri imitantur.

LXIII.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus. si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub uulpe latentes.

Reges non statim in amicitiam homines recipiunt, sed cum multis modis, tum uino maxime eorum ingenia exquirunt: cum enim animi uino in conuiujs incaluerunt, arcana produnt. ut igitur ij uino, sic tu prædictis signis animum eius explora, quem censorem tuis carminibus adhibebis: debes enim cauere, ne tibi fucum faciat adulando.

CULULLIS. poculis. in odis.

Diues, & aureis

Mercator exsiccet culullis

Vina syra reparata merce.

ET TORQUERE MERO. ut alij in quæstione ex equuleo pendentes torquent reos, sic Reges; alijq; summi uiri uino torquere uidentur, ebrijs arcana omnia elicientes. Horatius in epistolis.

Quid non ebrietas designat? operta recludit.

Pindarus in Nemeis, in ode ad Cromium Aetnæum,

ἄρτα λεία δὲ πῖα

κρητῆρα φωνὰ γίνετα.

Audax ad poculum uox fit. ebrietatem ueteres pingebant è poculo uitreo bibentem, quia ut uitrum, sic animi ebriorum perspicui esse uidentur. Pausanias in Corinthiacis. γέγραπται δὲ εὐθαῶτα καὶ μέθῃ ἢ ὑαλίνης φιάλης πίνουσα. p̄icta erat hic ebrietas è uitrea phiala bibens. M. Crassus Mysorum legatos noctu ad se profectos non statim dimisit, cras se dimissurum promisit. in cœna interim eos uino torquens arcana omnia expiscatus est. Dion est auctor libro quinquagesimo primo. AN SIT AMICITIA DIGNVS. Aristoteles libro nono ethicorum multos modios salis consumendos ait, anæquam putes te amicum probe nosse. nam, ut inquit Isocrates in oratione ad Demonium, χρυσοῖον εἰ τῷ πνεῖ δοκιμάζομεν, τῶς ἢ ὀλίγῳ εἰ τῶν ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. aurum igni probamus, amicos autem in periculis cognoscimus. quem locum Isocratis Cicero in epistolis familiaribus retulit. ANIMI SVB VVLPPE LATENTES. astutiæ adulatorum: uulpes enim callidissimæ sunt. Carbo dicere solebat, se contra uulpem, & leonem, quæ Syllæ animum incolebant, pugnare, plus tamen à uulpe, quàm à leone timere. Plutarchus in uita Syllæ. NVNQVAM TE FALLANT. sensus est. sis semper attentus, & in speculis, ne te assentatores decipiant,

quando ego te monui, quo pacto eos dignoscere possis. in nonnullis codicibus. fallent, non fallant, legimus. Et est alter sensus. Reges uino hominum animos explorant: tu si mea præcepta in cognoscendis adulatoribus seruabis, nunquam ab eorum dolis circumuentus, et circumscriptus eris. illustrissimus, et doctissimus Federicus Cornelius posteriore hunc sensum induxit, cum superiore anno Venetijs, dum cymbis per riuos urbis uehebatur, librum hunc Horatii legeremus.

LXIII.

Quintilio quicquid recitares, corrige fodes
 Hoc, aiebat, & hoc. melius te posse negares.
 Bis, terq; expertum frustra, delere iubebat,
 Et male tornatos incudi reddere uersus.
 Si defendere delictum, quàm uertere malles,
 Nullum ultra uerbum, aut operam sumebat inanem,
 Quin sine riuali teq; & tua solus amares.

Superioribus aliquot uersibus censorem adulatorem nostrorum carminum descripsit Horatius. nunc uero sincerum, ac uerum iudicem exprimit, Quintilium pro æquissimo quolibet censore laudans. qualem se nactum fuisse Albiu Tibullum libro I. epist. Horatius demonstrat: Albi nostrorum sermonum candide iudex, etc. hic Quintilius tuos tibi errores in conspectu ponebat, et, ut emendares, monebat. si obstinatus errata tueri uolebas, nihil præterea dicebat, cum se monendo proficere posse non speraret. QUINTILIO. huic similis fuit Philoxenus. de quo Plutarchus meminit in libro de fortuna, et uirtute Alexandri. οἷος ᾧ πάλιν αὐτὸν Διονύσιος ὁ τὸν ποιητὴν ἐλόξευον εἰς τὰς λατριάσ ἰμβαλῶν, ὅτι τραγωδίαν αὐτοῦ διορθῶσαι κελούσῃς ὁδύς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλῳ μέχρι τῆς κερωνίδου αὐτὸν ἀδύνατον. qualis erat Dionysius, qui poetam Philoxenum in Latomias Syracusis carcerem coniecit, quòd, cum ei imperasset, ut tragœdiam suam corrigeret, statim ab initio ad finem usque totam damnans, lineam deduxit. QVICQUID. in non nullis codicibus, si quid, longe, ut ego quidem sentio, politius legitur. quod acrioris iudicij uiri facile iudicabunt. NEGARES. Si negares te melius posse id præstare, quia rem sæpius tentasses, nec tamen eam magis perpolire potuisses, delere iubebat, idest adhuc corrigere, uel certe discindere, ne carmina legerentur. Cicero in epistolis familiaribus, quòd epistolam conscissam doles, etc. ET MALE TORNATOS. male perpositos uersus. sumpta translatio est à fabris lignarijs, qui asperas tabulas torno exæquant, et complanant. de torno Budæus in pandectis. INCUDI REDDERE. emendare. translatio à fabris ferrarijs. Homerus lib. VIII. odys. de Vulcano, qui tenuissima uincula conficere parabat, quibus Martem, et Venerem adulterio iacentes uinciret.

εἰ δ' ἔδειτ' ἀκμῆς δέ τῳ μέγαν ἀκμονα.

Incedem ingentem suo loco constituit . SI DEFENDERE DELICTVM . quidam enim errata defendunt , rati se non officiose , sed inimice esse admonitos , atque emendatos , ut ait Socrates in Theæteto Platonis , hanc temporum calamitatem deplorans . καὶ οὐκ ἴθ' ἔγωγε δὲνοίξ' ἔγωγε ποιεῖν . & non existimant me beneuolo animo hoc efficere , ut eos scilicet moneam , & eorum illis delicta commonstrem .
QVAM VERTERE . quàm corrigere . uel alia uerba reponendo , uel eadem retinendo loco tamen uersa , ac transposita . exemplo sit Cicero , qui in oratore ad M. Brutum sic inquit . age sume de Gracchi apud Censores illud . abesse non potest , quin eiusdem hominis sit probos improbare , qui improbos probet . quanto aptius , si ita dixisset , quin eiusdem hominis sit , qui improbos probet , probos improbare . hæc ille . magni enim refert , ut uerba suo loco collocata sint , præsertim in metris . quæ corrigebat Quintilius .
NVLLEM ULTRA VERBUM . nullum amplius uerbum , aut operam inanem consumebat . quid enim oleum , & operam , ut aiunt , perderet ? naturam ipsam Quintilius imitabatur , quæ nihil frustra facit , ut testatur Aristoteles lib. I. de coelo , ubi negat circulari coeli cursui contrarium esse cursum circularem . si esset , inquit , uinceretur , cœlum enim non impediretur , ergo ille inanis esset . tum addit , at deus , & natura nihil frustra faciunt . idem ait Themistius lib. I. de anima , ubi inquit . si anima communes cum corpore passiones habet , cum seiuncta est à corpore , nihil aget . at hoc non consentaneum est , natura enim nihil frustra creat . excusandus igitur Quintilius , non existimandus seuerior , si operam perdere nolebat . sunt enim , qui illum nimis asperum , & seuerum fuisse dicunt .
QVIN SINE RIVALI . ille te non deterrebat , quin sine riuali , idest æmulatore solus tua scripta probares . qui autem hæc faciunt , boni , & elegantes poetæ non sunt . Cicero libro primo quaestionum Tusculanarum eandem sententiam his uerbis expressit . itaque suos libros ipsi legunt cum suis , nec quisquam attingit præter eos , qui eandem licentiam scribendi sibi permitti uolunt . Aristoteles libro primo Topicorum laudabilia ea esse censet , quæ non auctori duntaxat , sed alijs etiam probantur , αὐδὲξ' ἢ τὰ δοκοῦντα πᾶσι , ἢ τοῖς πολλοῖς , ἢ τοῖς σοφοῖς . &c. probabilia sunt , quæ omnibus uel plurimis , uel sapientibus laudantur .

LXV.

Vir bonus , & prudens uersus reprehendet inertes ,
 Culpabit duros , incomptis allinet atrum
 Transuerso calamo signum , ambitiosa recidet
 Ornamenta , parum claris lucem dare coget ,
 Arguet ambigue dictum , mutanda notabit ,
 Fiet Aristarchus , nec dicet , cur ego amicum
 Offendam in nugis ? hæc nugæ seria ducent
 In mala derisum semel , exceptumq; finistre .

Dixerit quispiam . ego quidem assentaturus non sum , et scripta , quæ mihi oblata fuerint ad expendendum , emendare quidem statui , sed in emendando quem modum seruabo ? quid delebo ? quid probabo ? huic Horatius nunc satisfacit . nam in omni disciplina , non solum præcipiendum est , quid fieri conueniat , sed etiam modus , et ratio tradenda est dilucidior , qua officio fungamur . Aristoteles etiam lib. sexto Topicorum hoc docuit , ubi illum non recte diffinire ait , qui , ex quibus res diffiniatur , docet , modum autem non explicat compositionis . neque enim domus simpliciter est materia , ut lapides , ligna , & alia huiusmodi , sed harum rerum ordo quidam distinctus , & compositio . ibi Alexander Aphrodisæus , præter exemplum domus ab Aristotele allatum , syllabæ exemplo utitur , non enim syllaba , inquit , est elementa , sed apta elementorum collocatio . quare modus in omni præceptione tradendus est . hic igitur Horatius , qui uersus corrigendi , qui laudandi sint , demonstrat , & modum emendandi nobis optimum aperit .

VIR BONVS ET PRVDENS. prudentia in eo uersatur , ut bonum eligamus , & utile , contraria uitemus : ut scribit Aristoteles lib. VI . de moribus ad Nicomachum . ubi Anaxagoram , Thaletemq; sapientes , & bonos fuisse confitetur , sed prudentes negat . nam sapientia in ueri cognitione posita est . Horatius & sapientem , & prudentem expressit .

INERTES. pigros , ut uersum Catulli ,

Qui modo me solum , atque unicum amicum habuit .

Vel arte carentes , ut uersum , quem libro octauo Quintilianus reprehendit , de mure . Prætextam in cista mures rosere Camilli . ut etiam Ciceronis carmen , ò fortunatam natam me Consule Romam . illa enim duo uerba , fortunatam , natam sine arte coniuncta sunt .

DVROS. ut Lucilij uersus . de quo illud uulgatum est ,

Emunctæ naris durus componere uersus .

Translatio à corporibus , ut scribit Alexander Aphrodisæus libro quarto Topicorum , ubi docet Aristoteles translatum genus uitandum esse , ut si quis , inquit Alexander , rusticitatis duritiem genus esse diceret , quæ corporum est .

INCOMPTIS. ut quæ epithetis illustrata carmina non sunt . licet enim epitheta non sint necessaria , tamen splendorem poemati afferunt . Aristoteles libro tertio rhetoricorum : οὐ μὲν γὰρ ποιήσαι πρὸς περὶ γὰρ λα λδὲ κὲν εἰπεῖν , οὐ γὰρ λόγῳ τὰ μὲν ἀπρεπέσδρα . in poetice non absurdum est , lac album appellare : in oratione uero soluta hæc decora non sunt .

TRANSVERSO CALAMO. signum atrum , idest lituram , & emendationem , allinet , inducet transuerso calamo , quia litura transuerse inducitur . Vlpianus iurisconsultus libro uigesimo octauo digestorum , titulo quarto , lege prima : quæ in testamento legi possunt , ea inconsulto deleta , & inducta nihilominus ualent .

AMBITIOSA RECIDET ORNAMENTA. ut crebriora epitheta . nam Aristoteles libro tertio rhetoricorum Alciamantem reprehendit , οὐ γὰρ ἠδύσμοσι χρῆται , ἀλλ' ὡς ἐδύσμοσι τοῖς ἐπιθέταις . non enim ut cupediis , et deliciaribus cibus , sed ut edulij , ipsis epithetis utitur . Cicero in oratore ad Brutum Gorgiæ scripta ambitiosis his ornamentis picta fuisse demonstrat his uerbis : Gorgias autem auidior est generis eius ,

IN POETICEN HORATII

et his festiuitatibus, sic enim ipse censet, insolentius abutitur, quas Isocrates, cum tamen audiuisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam, moderatius temperauit. **PARVM CLARIS LVCEM DARE.** parum apertis. uide Laurentium Vallensem in elegantiiis. lucem dare dixit, ut translationi à luce responderet. clarus enim à luce est. Aristoteles libro tertio rhetoricorum illud in Gorgia reprehendit, *χλωρὰ, καὶ ἄομα τὰ περὶ γυμνασια* pro florentibus. ait enim esse *ἔασαφές*, idest obscurum. notum est de Persio, quem D. Hieronymus in ignem proiecit propter obscuritatem. sunt enim quidam, qui eam in primis adamant, magistrum imitantes, qui, ut auctor est Quintilianus libro octauo, auditoribus illud semper in memoriam redigebat, *χρότησον*, obscurus esto. **AMBIGVE DICTVM.** ut illud Aristotelis lib. tertio rhetoricorum, de Theodoro, qui Niconem obscurius carpsit citharœdum. *θράττει σε*, uisus est dixisse, perturbat, & commouet te. at innuebat eum è muliere Thracia ortum, uel certe Thracem esse; quemadmodum etiam uir doctissimus Petrus Victorius interpretatur. prudenter mihi uidentur Iurisconsulti statuisse, ut ambigua oratio in pactis auctori noceat. nam Papinianus lib. secundo Digestorum, titulo de pactis, lege trigesima nona, sic inquit. ueteribus placet, pactiōnem obscuram, uel ambiguam uenditori, & qui locauit, nocere, in quorum fuit potestate legem apertius conscribere. **MVTANDA NOTABIT.** quæ tunc non potuit emendare, sed in aliud tempus reiecit, asterisco notabit, uel etiam cæra, ut faciebat T. Pomponius Atticus in scriptis Ciceronis, cum aliquid, quod eum offenderet, occurrebat. unde Cicero libro decimo sexto epistolarum ad Atticum, cæculas enim tuas, inquit, miniatulas illas extimescebam. **FIET ARISTARCHVS.** hic iudex fuit acerrimus in Homeri uersibus seligendis, qui germani essent, & in nothis reijciendis. ita Homericeam idæam animo conceperat. Cicero in epistola ad Dolabellam. profert alter, opinor, duobus uersiculis expensum. alter Aristarchus hos *ὀβελίζει*. ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum. Aristarchus hic ipse eodem iudicio Hesiodi uersus expendit. nam in fine libri primi de operibus, & diebus hic uersus legitur,

ἡρατὸς ἢ θαίσις ἔτδρον παῖδα ἐγχεύσει λείπων.

Senex perires alterum filium relinquens. ibi Zezes Hesiodi interpres ait hunc uersum ex sententia Aristarchi esse *πὸ δρασόν*, idest superuacaneum. **IN NUGIS.** sunt qui carmina nugas putent, & ideo, ne offendant amicum, liberius non sentiunt. negat Horatius esse nugas, & huiusmodi emendationem esse contendit maximi ponderis. Aristoteles libro nono de moribus ad Nicomachum. *ἐπανόρθωσιν δ' ἔχουσι μᾶλλον βουθίον εἰς τὸ ἠθος, ἢ πρὸς οὐσίαν, ὅσῳ βέλπον, καὶ τ' ὀλίγας οἰκειότδρον.* ἢς, qui corrigendi sunt, eo potius subueniendum in moribus, quàm in rebus, ad opes, et copias spectantibus, est, quo melius est, & magis amicitie proprium. uidetur autem ad mores spectare, ne quis nescius in suis erroribus exultet. **EXCEPTVM QVE SINISTRE.** male tractatum ab adulate amico. Virgilius.

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.

De sinistro, & dextro tonitru vide quid annotauimus in Parergis libro tertio, capite secundo.

LXVI.

Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
 Aut phanaticus error, & iracunda Diana,
 Vesanum tetigisse timent, fugiuntq; poetam
 Qui sapiunt, agitant pueri, incautiq; sequuntur.
 Hic dum sublimis uersus ructatur, & errat,
 Si ueluti merulis intentus decidit auceps
 In puteum foueam'ue, licet succurrere longum
 Clamet io ciues, non sit, qui tollere curet.
 Si quis curet opem ferre, & demittere funem,
 Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atque
 Seruari nolit?

VT MALA QUEM SCABIES. prudentes, inquit, malum poetam, ut morbum, ac pestem fugiunt. & huius grauissimos errores non esse corrigendos ait, quia ultro peccat, specie quadam recti deceptus, et delicta obstinatus defendit. meminit hic de scabie. sic poetam, inquit, malum, ut hominem scabiosum excellentes prudentia uiri deuitant. Suidas ἠράκλειον ψώραν, idest herculeam scabiem uocat. MORBUS REGIUS. is est morbus regius, quo facies tota hominum crocea est. Aristoteles libro tertio de anima intellectum omnibus formis recipiendis habilem, atque idoneum esse dicit, ideo esse immixtum, ut Anaxagoras etiam uolebat, ne ulla forma prius recepta alias excluderet. ibi Simplicius intellectum materiae comparat, Alexander præparationem uocat. M. Antonius Passerus Genua, quem nos Patavijs philosophiam summo loco interpretantem diuinitus, multos annos audiuius, intellectum regio morbo æquiparauit: quo qui laborant, croceos oculos habent: quare omnes ijs colores crocei uidentur. hunc morbum Cornelius Celsus regium appellatum affirmat, quod eo laborantes regio apparatu, & delicijs oblectandi sunt. sic enim hilares morbum pellent. PHANATICVS ERROR. quo laborant furijs correpti, ut laborauit Orestes occisa matre, quem Taurica Diana demum sanauit. Cicero pro Milone. & qui Cacodæmonem uiderunt, ut uidit Brutus in Philippicis campis. Florus. IRACVND A DIANA. hæc furorem immittebat fontibus. de ea chorus in Aiace territus exemplo furentis Aiadis,

ὦ μάτηρ αἰχίναιο' ἐμῆς
 ὤρμασε πανδάμοις ἢ βου' ἀγελαίο'.
 O mater mea probra in boues conuerte.

VESANVM POETAM. non sanum. nam, Ve, particula priuat, ut annotauit Gellius libro quinto, capite decimo. non sanum igitur, idest stultum. nam quod

IN POETICEN HORATII

corporis est, ad animum transfertur.

Aristophanes in Pluto,

ἀδίκον, ὕγιές μηδεὶ.

iniustum, nihil sani.

Euripides in Andromache contra Spartanos,

καὶ οὐδὲν ὕγιές.

et nihil sani est.

AGITANT PVERI. poetam ma-

lum pueri etiam ludibrio habent, in eum raphanos, et mugiles conijcientes, ut mos antiquus est. Catullus ad Aurelium.

Ab tum te miserum, maliq; fati,

Quem attractis pedibus, patente porta

Percurrent raphaniq; , mugilesq; .

INCAVTIQVE SEQVNTVR. qui parum prudentes sunt, hunc poetam sequuntur, Horatij illud in satyris memoria non tenentes. Niger est, hunc tu Romane caueto. Demosthenes in oratione de falsa legatione Ὀλαβὴν appellat, idest cautum, quod Aeschinem sequi, ac imitari in perniciose illa legatione ad Philippum noluit. RUCTATVR. sordido uerbo sordidos mali poetæ uersus indicauit. nisi alludit ad bonum poetam Antonium, qui nunquam ructatus est. Plinius lib. septimo, capite decimo nono. SI VELVTI MERVLIS. si ut auceps, qui merulis auibus insidias struit, in foueam, idest in perspicuos errores, et ante oculos positos incidit, non tollas, idest, non corrigas. non enim iuuari, idest emendari uult. IN PUTEVM, FOVEAM'VE. alludit ad Thaletem philosophum, de quo apud Laertium in eius uita sic legimus. λέγεται δ' ἀγρόμενος ὑπὸ γροῦς ἐκ τῆς οἰκίας, ἵνα τὰ ἄστρα κατανόησιν, εἰς βόθρον ἐμπσεῖν, καὶ αὐτῷ αἰοιμώξαντι φαῖαι τὴν γαῖαν. οὐ γὰρ ὡς δαλίτηα εἰ ποσὶν οὐδ' αὐτὸς ἰδεῖν, τὰ δὲ τῶν οὐρανοῦ οἷα γινώσκει δοῦναι. domo ab anu deductus, dicitur, ut sidera noctu contemplaretur, in foueam incidisse. et illi ingemiscenti anum dixisse perhibent, tu quidem Thales, cum ea, quæ ante pedes sint, perspicere non possis, quæ in coelo sunt, cognoscere te posse existimas? Laertius βόθρον, idest foueam dixit, sed Horatius puteum præterea addidit, Platonis locum in Theæteto, ubi hæc eadem res de Thalete commemoratur, exprimens. πρὸς οὐρανὸν εἰς φρέαθ, inquit Plato, cadentem in puteum. sublimem poetam appellauit Horatius, ut Thaleti similem penitus faceret astra dinumeranti. NON SIT, QUI TOLLERE CVRET. hic mihi uenit in mentem Pyrrhonis, de quo Laertius in uita. αἰάξαρχου ἐς τέλμα ἐμπρόσθεντος πρὴν λαθεῖν οὐ βοηθήσας. αἰάξαρχος ἐπὶ νεῖδ' ἀδιάφορον καὶ ἄσορρον αὐτοῦ. Anaxarchum in coenum prolapsum non subueniens præterijt. Anaxarchus autem eius animum, ut ita dicam, indifferentem, et nihil amantem laudauit. DEMITTERE FVNEM. funis demissus altitudinem foueæ putei ue indicat, ut apud Virgilium equi Troiani. demissum lapsi per funem. quo uersiculo plurimum admiratur Virgilij ingenium Quintilianus libro octauo, capite tertio. QUI SCIS, AN PRVDENS. tu, qui opem ferre paras, quo modo scire potes, an de industria in foueam, aut puteum se proiecerit? ut pla-

nus ille,

nus ille . de quo Horatius libro I. epistolarum .

Nec semel irrisus triuijs attollere curat
 Fraëto crure planum , licet illi plurima manet
 Lachryma , per sanctum iuratus dicat Osirim ,
 Credite , non ludo , crudeles tollite claudum :

Quære peregrinum , uicinia rauca reclamat .

SERuari NOLIT? idest emendari fugiat . M. Cato Uticensis seruari noluit :
 uulnera enim digitis discidit , ne uultum tyranni aspiceret . at hic seruari non uult ,
 ne emendetur : quod stultissimum est .

LXVII.

Dicam , Siculiq; poetæ

Narrabo interitum . deus immortalis haberi

Dum cupit Empedocles , ardentem frigidus Aetnam

Infiluit . sit ius , liceatq; perire poetis .

Inuitum qui seruat , idem facit occidenti .

Nec semel hoc fecit , nec , si retractus erit , iam

Fiet homo , & ponet famosæ mortis amorem .

Non uidebatur esse consentaneum , ut poetæ se ultro in foueam , aut puteum præcipites mittant . id probat nunc Horatius Empedoclis poetæ exemplo , qui , ut , nusquam suo corpore inuento , immortalitatis suæ opinionem relinqueret , in Aetnam se ardentem deiecit . SICVLI POETAE . Empedoclis . quem Agrigentinum uocat Cicero libro I. quæstionum Tusculanarum , & in Lælio . est autem Agrigentum urbs Siciliae . Cicero in Verrinis , Polybius libro I. alij . Horatius hic Empedoclem poetam fuisse affirmat , sed Aristoteles in poetice negat : nam metro res naturales complexus est : at non metrum , sed fabula poetam facit . Cicero in Lælio poetam non ausus est dicere . Agrigentinum doctum quendam uirum carminibus græcis uaticinatum ferunt ; quæ in rerum natura , totoq; mundo constarent , quæq; mouerentur , ea contrahere amicitiam , dissipare discordiam . hic Empedocles duo rerum principia , amicitiam , & litem posuit , ut his uerbis testatur Cicero , & Simplicius lib. I. physicorum , Aristoteles lib. I. de coelo , sectione nonagesima nona , Plutarchus in libro de Iside , & Osiride , ἐμπεδοκλῆς δὲ τὴν μὲν ἀγαθουρῶν ἀρχὴν ὠλόθητα , καὶ ὠλίαν καλεῖσθαι , τὴν δὲ χεῖρονα νεῖως . Empedocles utro ait bonum principium amicitiam , deterius litem esse nuncupatum . quo modo hæc Empedoclis mors cognita sit , eiusq; consilium perspectum , Laertius docet in uita Empedoclis , ὕδρον δὲ γινώσκουσα ἀναρῆριπιδείσθαι ἄλλοῦ μᾶσ τῆν κρηπίδων . χαλκῆς γὰρ εἶδησο ἰσποδείσθαι . rem deinde compertam , ob alteram eius crepidam , quæ in Aetnæ iugo , unde ille se deiecit , inuenta est . æreas enim crepidas gestare solebat . DEVS IMMORTALIS . sic in odis libro secundo , gelidâq; diuos morte carentes . Homerus deos sæpe uocat αἰὲν ἔόντας , semper existentes .

IN POETICEN HORATII

AR DENTEM. quia in sicilia sub terra sulphura sunt, quæ flantes venti accendunt. Trogius libro quarto copiose. FRIGIDVS. ut sit antithetum, frigidus ardentem. uel frigidus præsentis mortis horrore. nam etiam præstantissimum philosophum timor potuit commouere uehementius. Pindarus in Nemeis ode tertia.

Φόβος κίσποδάμα;

Timor uiros domans.

Timor autem frigidus est. Virgilius.

Gelidusq; per ima cucurrit

Ossa tremor.

Seruius uersum illum libro primo Aeneidos declarans, Exemplo Aeneæ soluuntur frigore membra, frigore, inquit, idest timore. & est reciproca translatio. nam & timor pro frigore, & frigus pro timore ponitur. &c.

SIT IVS, LICEAT QVE. liceat poetis perire. hoc ius, & priuilegium habeant, ne opem ijs feras, ne ue inuitos serues. IDEM FACIT OCCIDENTI. idem facit, quod qui occidit. qui mori uolentem seruat inuitum, idem facit ac si occideret. idem cum casu dandi græca ratione. Aristophanes in Pluto.

ἴδῃ δὲ μὴ σπᾶν τοῦτο τῷ κεντημένῳ.

Videatur autem non idem facere possidenti.

Quid sit autem occidere, docet Ulpianus iurisconsultus libro uigesimo nono digestorum, titulo de senatusconsulto Syluiano, lege prima, his uerbis. occisorum appellatione eos contineri Labeo scribit, qui per uim, aut cædem sunt interfecti, puta, iugulatum, strangulatum, præcipitatum, uel saxo, uel fuste, uel lapide percussum, uel quo alio telo. simile huic Horatii sententiæ illud Senecæ est in Thebaide.

Qui cogit mori nolentem in æquo est, quiq; properantem impedit. SI RETRACTVS ERIT. ab incendio Aetnæ. FIET HOMO. cum uelit deus immortalis haberi. FAMOSAE MORTIS. non ponet amorem, idest curam non abiiciet, famosæ mortis, idest mortis infamis: nam se ipsum occidere, ut fecit Empedocles, infame est. Aristoteles libro quinto de moribus ad Nicomachum, καὶ τίς ἄν τινα πέσει τῷ ἑαυτὸν διαφθεῖραν, ὡς τὴν πόλιν ἀδικούντι. & infamia constat se ipsum occidenti, quia ciuitatem iniuria afficit. Lucianus in libro de uera historia dubitantem Rhadamantum inducit, an Aiace[m] Telamonium in coetum heroum admitteret, quod sibi ipse mortem consciuerat. Cicero libro sexto de Rep. sic inquit. quæso inquam pater sanctissime, atque optime, quoniam hæc est uita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin hinc ad uos uenire propero? non est ita, inquit ille. nisi enim cum deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicias, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest. Plotinus hic apud Macrobiu[m], oportet, inquit, animam post hominem liberam corporeis passionibus inueniri. quam qui de corpore uiolenter extrudit, liberam esse non patitur. hanc quæstionem in Rhadone Plato tractauit luculentius.

LXVIII.

Nec satis apparet, cur uersus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Mouerit incestus. certe furit, ac, uelut ursus
Obiectos caueæ ualuit si frangere clatros,
Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbus.
Quem uero arripuit, tenet, occiditq; legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Infelicem hunc poetam esse inquit, quod uersus scribat tam ineptos; & id euenire ob facinus aliquod, quo se ille astrinxerit. nam, ut uulgo dicitur, propter peccata aduersæ res contingunt. Darius rex Persarum cum uictus à Græcis abiret, simulachrum Apollinis in sua classe reperit: quod cum è templo surreptum fuisse audisset, in Delum, ut deo simulachrum redderet, enauigauit, cum statuisset, se aduersam in bello fortunam ob sacrilegium illud fuisse expertum: ut Herodotus in Erato scriptum reliquit. MINXERIT IN PATRIOS CINERES. quo factò & in patrem fuisset impius, & ius sepulchrorum læsisset, quod erat sanctissimum. Cicero Philippica nona. sed statuæ intereunt tempestate, uis, uetustate: sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla uis moueri, neque deleri potest, atque, ut cetera extinguuntur, sic sepulchra fiunt sanctiora uetustate. similis huic Horatiij alter locus in odis,

Expedit matris cineres opertos

Fallere.

TRISTE BIDENTAL. templum, à bidentibus, idest ouibus dictum, sacrilegus spoliauit. triste per fulmina coelo delapsa, uel triste ipsi, qui peccauit. VELUT URSVS. sic omnes poetam indoctum recitaturum fugiunt, ut ursum, qui uinculis solutus late furit, pertimescere uideantur. simile admodum illud Aristotelis est libro tertio rhetoricorum, ubi de imagine agit. ὁ δὲ ἰδριεὺς αἰσθητικῶν εἰς ἰδριεῖα, ὅτι ὁμοίως τοῖς ἐκ τῆς δεσμῶν κωιδίσις. ἐκείνα γὰρ πρὸς πῖνοντα δάκνει, καὶ ἰδριεῖα λυθωῖτα ἐκ τῆς δεσμῶν εἶναι χαλεπὸν. qualis Andro- tion in Idrieum, quod similis erat solutis è uinculis catulis: illi enim obuia quæque mor- dent, & Idrieum è uinculis exsolutum esse molestum, ac difficilem. Ulpianus iuris- consultus de urso furente sic inquit libro nono digestorum, titulo, si quadrupes paupe- riem fecisse dicetur, lege prima. Et ideo si ursus fugit, & sic nocuit, non potest quon- dam dominus conueniri, quia desinit dominus esse, ubi fera euasit, &c. CLATROS. cancellos, quibus septus coercetur. RECITATOR ACERBUS. poeta in recitandis carminibus suis molestus. publice enim poemata recitabant. Plinius libro primo, epistola tertia, magnum prouentum poetarum annus hic attulit. toto men- se Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. uide etiam Vitruuium libro septi- mo, in præfatione. NON MISSURA CVTEM, &c. qualis hirudo, idest

ut vulgo loquuntur, sanguisuga, quæ cutem non prius dimittit, quàm cruorem multum ebiberit. sic enim malus poeta non prius auditorem dimiserit, quàm eum tædio audiendi ineptias enecauerit. simillimum illud Aristotelis est libro secundo rhetoricorum, de uulpecula, quam in foueam delapsam, & ægram vicini undique inuaserant, sanguinem exsugentes. erinaceus uoluit abigere. ne facias, inquit: hi enim meo saturi sunt cruore: alij accedent, qui sitientes auidius sanguinem bibent. latina hæc sic expressa ab Aristotele sunt. ὅτι οὐ τοι μὲν πλεῖστος μου ἤδη εἰσὶ, καὶ ὀλίγον ἔλκυσσιν αἷμα. εἰαὶ δὲ τούτοις ἀφέλη, ἔτδροι ἔλκυσσόντες πεινῶντες ἐκπιούντων μου τὸ λοιπὸν αἷμα. quoniam hi cruore meo saturi sunt, & pusillum iam sanguinis eliciunt. si uero hos abegeris, alij uenientes præ siti reliquum mei sanguinis expriment. concludebat ille apud Aristotelem sic facere debere Samios, tyrannum scilicet iam opulentum non abigere: alius enim remp. inuadet inops, qui opes illis extorquebit. Horatius etiam similitudine hirudinis concludit, malum poetam uitandum esse: nemo enim illum impune audiet. & uterque similitudine est usus animalium, quæ sanguinem, cum membris adherent, eliciunt, atque ebibunt. hæc igitur omnino fuerunt conferenda. illud autem obiter obseruandum uidetur, solitos esse ueteres à natura animalium similitudinem, ex qua conclusio aliqua oriatur, inducere, ut hic Horatius ab hirudine, Aristoteles, ut demonstrauimus, à uulpecula, & erinaceo induxit. hoc Ciceronem etiam fecisse uideamus libro decimo ad Atticum, epistola decima quarta, Syluium, inquit, & Ocellam, et cæteros credo retardatos. te quoque à Curtio impediri uideo. & si, ut opinor, habes Scythæ ὄνον. quem Ciceronis locum tres abhinc annos in Parergis ex Herodoto declarauimus, nec tamen, cum noster ille liber Venetijs excuderetur, & ego in citeriore Gallia abessem, Herodoti uerba fuerunt apposita, amici negligentia prætermissa. tu, inquit Cicero, à Curtio retardatus, atque impeditus tanquam Scythæ ab asino uideris. & historiam innuit, quam Herodotus in Melpomene retulit. Darius enim cum ex Scythia pelleretur, ut insequentium Scytharum impetum retardaret, asinos in extrema acie collocauit, qui nunquam antea à Scythis uisi fuerant. nam Scythia hanc belluam non gignit. Scythæ igitur insolito belluarum strepitu percussi segnius hostem insecuti sunt. Herodoti uerba hæc sunt. οὐδ' ἔστι ἐν τῇ σκυθικῇ παρσῆ χώρῃ τὸ πρῶτον οὐτ' ὄνος, οὐδ' ἡμίονος δὲ τὰ ψύχα, ὑβρίζοντες ὧν οἱ ὄνοι ἐτάρκασον τῶν ἰππων τῆς σκυθίων. in uniuersa Scythia nullus omnino asinus, aut mulus ob frigidam cæli regionem nascitur. asini igitur quasi conuicio obstrepentes Scytharum equitatum perturbabant.

Errata ita corrige.

Pagina 2. a.
publicæ pro publice
2. b.

uidiros pro uiros
erutissimis pro eruditissimis
7. a.

in odyssea pro in odis.
9. a.

ἀπρὸρῆξας pro ἀπρὸρῆξας
10. b.

crimen pro crinem,
11. a.

despicere pro dispicere
γῆρα pro γῆρα
13. a.

uultum pro uultuum
19. a.

rabia pro rabie
20. b.

quem pro quod
26. a.

M. Calidio pro M. Calidi.
28. b.

βίω pro βίω

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y.

Omnes quaterniones.


APVD ALDI FILIOS,
VENETIIS, M. D. LIIII.


REPUBLICAN PARTY
MONTGOMERY COUNTY
MONTGOMERY, MARYLAND



THE MONTGOMERY COUNTY
MONTGOMERY, MARYLAND







2
L. VISI
E. P. H. D.
IN. H. O.
P. O. E. T.

118

8430